

## Vorlesung

*Der Brief in der römischen Literatur*

**Reader**

**Zwischen Alltagstext und Literatur:  
Der Briefwechsel des Plinius mit Kaiser Trajan**

- Kaiserliches Reskript - Kaiserkursive



Abb.: STEFFENS, F. : Lateinische Paläographie. Berlin/Leipzig 1929<sup>2</sup>. Tafel 13.

**Umschrift** (nach STEFFENS, Tafel 13):

(ab inquis eorum detentoribus *sibi* restitui.  
 Insuper etiam precatur  
 emptionale instrumentum, quod per vim ac necessitatem legibus inimicam  
 vili pretio dato super possessionibus ad se pertinentibus confectum sit,  
 nullum sibi praeiudicium generare,  
 sed exiguo pretio, quod re vera datum est, cum legitimis usuris refuso  
 eas se cum debitibus fructibus recuperare.  
*Denique*  
 idem petitior desiderat, solacia ex militia sua debita  
 ab Isodoro praefato utpote usurpatore sibi restitui,  
 ..... karissime ac iucundissime.  
*Laudabilis itaque* experientia tua,  
 si preci illi veritas inest,  
 tamquam si id ad iurisdictionem suam pertineret,  
 praefatum Isidorum ad solutionem debiti vix tandem sine ulla vana dilatione  
 cum petitore celebrandam iuxta legum tenorem constringi ;)  
 iniquos vero detentatores mancipiorum ad eum pertinentium  
 portinem ipsi debitam resarcire ;  
 nec ullum precatorem ex instrumento emptionali  
 pro memorata narratione per vim confecto praeiudicium pati,  
 sed, hoc viribus vacuato,  
 possessiones ad ipsum pertinentes cum debitibus fructibus,  
 minimo pretio, quod re vera accepisse probatur,  
 cum legitimis usuris redditio, ab inquis detentoribus  
 (eum recipere praecipiat ;  
 praefato scilicet Isidoro  
 solacia sive emolumenta ex militia supra dicta petitori debita,  
 quae perperam in suum lucrum dicitur vertisse,  
 restituero compellendo ;  
 ita tamen, ut personae ad ius spectabilitatis *tuae pertinentes*  
 cessante militari apparitionis suaे auxilio  
 in provinciali iudicio  
 pulsentur.)

- Plin. ep. 1, 1 (ed. SCHUSTER/HANSLIK)

C. Plinius Septico <claro> suo

[1] Frequenter hortatus es, ut epistulas, si quas paulo curatius scripsisset, colligerem publicaremque. Collegi non servato temporis ordine (neque enim historiam componebam), sed ut quaeque in manus venerat. [2] superest, ut nec te consilii nec me paeniteat obsequii. ita enim fiet, ut eas, quae adhuc neglectae iacent, requiram et, si quas addidero, non suppressam.

Vale.

- Plin. *ep.* 10, 1 (ed. SCHUSTER/HANSLIK)

C. Plinius Traiano imperatori

[1] Tua quidem pietas, imperator sanctissime, optaverat, ut quam tardissime succederes patri; sed di immortales festinaverunt virtutes tuas ad gubernacula rei publicae, quam susceperas, admovere. [2] precor ergo, ut tibi et per te generi humano prospера omnia, id est digna saeculo tuo, contingent. fortem te et hilarem, imperator optime, et privatim et publice opto.

- Plin. *ep.* 10, 96 (ed. SCHUSTER/HANSLIK)

C. Plinius Traiano Imperatori

[1] Solleme est mihi, domine, omnia de quibus dubito, ad te referre. quis enim potest melius vel cunctionem meam regere vel ignorantiam instruere? cognitionibus de Christianis interfui numquam; ideo nescio, quid et quatenus aut puniri soleat aut quaeri. [2] nec mediocriter haesitavi, sitne aliquod discrimin aetatum, an quilibet teneri nihil a robustioribus differant, detur paenitentiae venia, an ei, qui omnino Christianus fuit, desisse non prosit, nomen ipsum, si flagitiis careat, an flagitia cohaerentia nomini puniantur. interim <in> iis, qui ad me tamquam Christiani deferebantur, hunc sum secutus modum. [3] interrogavi ipsos, an essent Christiani. confitentes iterum ac tertio interrogavi supplicium minatus; perseverantes duci iussi. neque enim dubitabam, qualemque esset, quod faterentur, pertinaciam certe et inflexiblem obstinationem debere puniri. [4] fuerunt alii similis amentiae, quos, quia cives Romani erant, adnotavi in urbem remittendos. mox ipso tractatu, ut fieri solet, diffundente se criminе plures species inciderunt. [5] propositus est libellus sine auctore multorum nomina continens. qui negabant esse se Christianos aut fuisse, cum praeeunte me deos appellarent et imagini tuae, quam propter hoc iusseram cum simulacris numinum adferri, ture ac vino supplicant, praeterea male dicenter Christo, quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt re vera Christiani, dimittendos esse putavi. [6] alii ab indice nominati esse se Christianos dixerunt et mox negaverunt; fuisse quidem, sed desisse, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante viginti. <hi> quoque omnes et imaginem tuam deorumque simulacra venerati sunt et Christo maledixerunt. [7] adfirmabant autem hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire carmenque Christo quasi deo dicere secum invicem seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent. quibus peractis sibi discedendi fuisse rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium; quod ipsum facere desisse post edictum meum, quo secundum mandata tua hetaerias esse vetueram. [8] quo magis necessarium credidi ex duabus ancillis, quae ministrae dicebantur, quid esset veri, et per tormenta quaerere. nihil aliud inveni quam superstitionem pravam, immodicam. [9] ideo dilata cognitione ad consulendum te decurri. visa est enim mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum; multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam, vocantur in periculum et vocabuntur. neque civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est; quae videtur sisti et corrigi posse. [10] certe satis constat prope iam desolata templa coepisse celebrari et sacra sollemnia diu intermissa repeti passimque venire victimarum <carnem>, cuius adhuc rarissimus emptor inveniebatur. ex quo facile est opinari, quae turba hominum emendari possit, si sit paenitentiae locus.

- Plin. *ep.* 10, 97 (ed. SCHUSTER/HANSLIK)

Traianus Plinio

[1] Actum, quem debuisti, mi Secunde, in excutiendis causis eorum, qui Christiani ad te delati fuerant, secutus es. neque enim in universum aliquid, quod quasi certam formam habeat, constitui potest. [2] conquirendi non sunt; si deferantur et arguantur, puniendi sunt, ita tamen, ut, qui negaverit se Christianum esse idque re ipsa manifestum fecerit, id est supplicando dis nostris, quamvis suspectus in praeteritum, veniam ex paenitentia impetraret. sine auctore vero propositi libelli <in> nullo crimine locum habere debent. nam et pessimi exempli nec nostri saeculi est.

### Griechische Briefe / Uriasbrief / Petrusbrief

► Hom. *Il.* 6, 119-211 (gem. TLG)

Γλαῦκος δ' Ἰππολόχιοι πάϊς καὶ Τυδέος νύὸς  
ἐξ μέσον ἀμφοτέρων συνίτην μεμαῶτε μάχεσθαι.  
οἱ δ' ὅτε δὴ σχεδὸν ἥσαν ἐπ' ἄλλῃ λοισιν ἵόντε,  
τὸν πρότερος προσέειπε βοὴν ἀγαθὸς Διομήδης:  
τίς δὲ σύ εσσι φέριστε καταθυητῶν ἀνθρώπων;  
οὐ μὲν γάρ ποτ' ὥπωπα μάχῃ ἐνι κυδιανείρῃ  
τὸ πρίν· ἀτὰρ μὲν νῦν γε πολὺ προβέβηκας ἀπάντων  
σῷ θάρσει, ὃ τ' ἐμὸν δολιχόσκιον ἔγχος ἔμεινας·  
δυστήνων δέ τε παῖδες ἐμῷ μένει ἀντιόωσιν.  
εἰ δέ τις ἀθανάτων γε κατ' οὐρανοῦ εἰλήλουνθας,  
οὐκ ἀν ἔγωγε θεοῖσιν ἐπουρανίοισι μαχοίμην.  
οὐδὲ γάρ οὐδὲ Δρύαντος υιος κρατερὸς Λυκοοργος  
δὴν ἦν, ὃς ρά θεοῖσιν ἐπουρανίοισιν ἐριζεν.  
ος ποτε μαινομένοιο Διωνύσοιο τιθήνας  
σεῦε κατ' ἡγάθεον Νυσῆιον· αὶ δ' ἄμα πᾶσαι  
θύσιθλα χαμαὶ κατέχεναγ ὑπ' ἀνδροφόνοιο Λυκούργου  
θεινόμεναι βουπλῆγι· Διώνυσος δὲ φοβηθεὶς  
δύσεθ' ἀλὸς κατὰ κῦμα, Θέτις δ' ὑπεδέξατο κόλπῳ  
δειδιότα· κρατερὸς γὰρ ἔχε τρόμος ἀνδρὸς ὁμοκλῆ.  
τῷ μὲν ἔπειτ' ὁδύσαντο θεοὶ ρεῖα ζώοντες,  
καὶ μιν τυφλὸν ἔνθηκε Κρόνου πάϊς· οὐδ' ἄρ' ἔτι δὴν  
ἥν, ἔπειτι ἀθανάτοισιν ἀπήχθετο πᾶσι θεοῖσιν.  
οὐδ' ἀν ἔγὼ μακάρεσσι θεοῖσι ἐνέλοιμι μάχεσθαι.  
εἰ δέ τις εσσι βροτῶν οἱ ἀρουρης καρπὸν εδουσιν,  
ἀσσον ἴψ, ὡς κεν θάσσον ὀλέθρου πείραθ' ἵκηαι.  
Τὸν δ' αὐθ' Ἰππολόχιοι προσηγύδα φαίδιμος νιός·  
Τυδείδη μεγάθυμε τι ἦ γενεὴν ἐρεείνεις;  
οἴη περ φύλλων γενεὴ τοίη δε καὶ ἀνδρῶν.  
φύλλα τὰ μέν τ' ἀνεμος χαμάδις χέει, ἄλλα δέ θ' ὕλη  
τηλεθύσασα φύει, ἔαρος δ', ἐπιγίγνεται ὥρη·  
ῶς ὀνδρῶν γενεὴ ἦ μὲν φύει ἦ δ' ἀπολήγει.  
εἰ δ' ἐνέλεις καὶ ταῦτα δαήμεναι ὄφρ' ἐν εἰδῆς  
ἡμετέρην γενεήν, πολλοὶ δέ μιν ἀνδρες ἵσασιν·  
ἔστι πόλις Ἐφύρη μυχῷ Ἀργεος ἵπποβότοιο,  
ἐνθα δὲ Σίσυφος ἐσκεν, ὃ κέρδιστος γένετ' ἀνδρῶν,  
Σίσυφος Αἰολίδης· ὃ δ' ἄρα Γλαῦκον τέκεθ' νιόν,  
αὐτὰρ Γλαῦκος τίκτεν ἀμύμονα Βελλεροφόντην·  
τῷ δὲ θεοὶ κάλλος τε καὶ ἡνορέην ἐρατεινὴν  
ωπασαν· αὐτάρ οἱ Προῖτος κακὰ μῆσατο θυμῷ,  
ος ρ' ἐκ δῆμου ἔλασσεν, ἔπει πολὺ φέρτερος ἦεν,  
Ἀργείων· Ζεὺς γάρ οἱ ὑπὸ σκήπτρῳ ἐδάμασσε.  
τῷ δὲ γυνὴ Προῖτου ἐπεμήνατο δι· Ἄντεια  
κρυπταδίη φιλότητι μιγῆμεναι· ἀλλὰ τὸν οὐ τι  
πεῖθ' ἀγαθὸν φρονέοντα δοιφρονα Βελλεροφόντην.  
ἥ δὲ ψευσαμένη Προῖτον βασιλῆα προσηγύδο·  
τεθναίης ὡς Προῖτ·, ἥ κάκτανε Βελλεροφόντην,  
ος μ' ἔθελεν φιλότητι μιγῆμεναι οὐκ ἐθελούσῃ.  
ῶς φάτο, τὸν δὲ ἄνακτα χόλος λάβεν οἰον ἄκουσε·  
κτείναι μέν ρ' ἀλέεινε, σεβάσσατο γὰρ τὸ γε θυμῷ,  
πέμπε δέ μιν Λυκίην δε, πορεν δ' ὃ γε σῆματα λυγρὰ  
γράψας ἐν πίνακι πτυκτῷ θυμοφύδρα πολλά,  
δειξαι δ' ἡνώγειν φι πενθερῷ ὄφρ' απόλοιτο.  
αὐτὰρ ὁ βῆ Λυκίην δε θεῶν ὑπ' ἀμύμονι πομπῇ.  
ἄλλ' ὅτε δῆ Λυκίην ἵξε Ξάνθόν τε ρεοντα,  
προφρονέως μιν τίεν ὄναξ Λυκίης εὐρείης·

έννημαρ ξείνισσε καὶ ἐννέα βοῦς ἱέρευσεν.	
ἀλλ’ ὅτε δὴ δεκάτη ἐφάνη ρόδοδάκτυλος Ἡώς	175
καὶ τότε μιν ἐρέεινε καὶ ἥτες σῆμα ἰδέσθαι	
ὅττι ρά οἱ γαμβροῖο πάρα Προίτοι φέροιτο.	
αὐτὰρ ἐπεὶ δὴ σῆμα κακὸν παρεδέξατο γαμβροῦ,	
πρῶτον μέν ρά Χίμαιραν ἀμαίμακέτην ἐκέλευσε	
πεφνέμεν· ἦ δ’ ἄρ’ ἔην θεῖον γένος οὐδ’ ἀνθρώπων,	180
πρόσθε λέων, ὅπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα,	
δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο,	
καὶ τὴν μὲν κατέπεφνε θεῶν τεράεσσι πιθήσας.	
δεύτερον αὖ Σολύμοισι μαχέσσατο κυδαλίμοισι·	
καρτίστην δὴ τὴν γε μάχην φάτο δύμενοι ἀνδρῶν.	185
τὸ τρίτον αὖ κατέπεφνεν Ἀμαζόνας ἀντισνείρας.	
τῷ δ’ ἄρ’ ἀνερχομένῳ πυκνὸν δόλον ἄλλον υφαίνε-	
κρίνας ἐκ Λυκίης εὐρείης φῶτας ἀρίστους	
εἰσε λόχον· τοὶ δ’ οὐ τι πάλιν οἴκον δὲ νέοντο·	
πάντας γὰρ κατέπεφνεν ἀμύμων Βελλεροφόντης.	190
ἀλλ’ ὅτε δὴ γίγνωσκε θεού γόνον ἥνν ἔοντα	
αὐτοῦ μιν κατέρυκε, δίδου δ’ ὁ γε θυγατέρα ἥν,	
δῶκε δέ οἱ τιμῆς βασιλῆδος ἡμισυ πάσης·	
καὶ μέν οἱ Λύκιοι τέμενος τάμον εἶσοχον ἄλλων	
αλὸν φυταλιῆς καὶ αρούρης, ὅφρα νεμοιτο.	195
ἡ δ’ ἔτεκε τρία τέκνα δαίφρονι Βελλεροφόντη	
Ἴσανδρόν τε καὶ Ἰππόλοχον καὶ Λαοδάμειαν.	
Λαοδαμείῃ μὲν παρελέξατο μητίετα Ζεύς,	
ἡ δ’ ἔτεκ’ αντίθεον Σαρπηδόνα χαλκοκορυστήν.	
ἀλλ’ ὅτε δὴ καὶ κεῖνος ἀπήχθετο πᾶσι θεοῖσιν,	200
ἥτοι δὲ καπ πεδίον τὸ Ἀλήιον οἰος ἀλάτο	
ον θυμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων·	
Ἴσανδρον δέ οἱ νιὸν Ἀρης ἀτος πολέμοιο	
μαρνάμενον Σολύμοισι κατέκτανε κυδαλίμοισι·	
τὴν δὲ χολωσαμένη χρυσήνιος Ἀρτεμις ἔκτα.	205
Ἴππόλοχος δέ μ’ ἔτικτε, καὶ ἐκ τοῦ φημι γενέσθαι·	
πέμπε δέ μ’ ἐς Τροίην, καὶ μοι μάλο πόλλ’ ἐπέτελλεν	
αἰεν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἐμμεναι ἄλλων,	
μηδὲ γένος πατέρων αἰσχυνέμεν, οἵ μέγ’ ἀριστοι	210
ἐν τ’ Ἐφύρῃ ἐγενοντο καὶ ἐν Λυκίῃ εὐρείη.	
ταύτης τοι γενεῆς τε καὶ αίματος εὐχομαι εἶναι.	

### Übersetzung nach J. H. VOSS:

Glaukos nun, des Hippolochos' Sohn, und der Held Diomedes,  
**120** Kamen hervor aus den Heeren gerannt in Begierde des Kampfes.  
 Als sie nunmehr sich genaht, die Eilenden gegeneinander,  
 Redete also zuerst der Rufer im Streit Diomedes:  
 Wer doch bist du, Edler, der sterblichen Erdebewohner?  
 Nie ersah ich ja dich in männerehrender Feldschlacht  
**125** Vormals; aber anjetzt erhebst du dich weit vor den andern,  
 Kühnes Muts, da du meiner gewaltigen Lanze dich darstellst.  
 Meiner Kraft begegnen nur Söhn' unglücklicher Eltern!  
 Aber wofern du ein Gott herabgekommen vom Himmel,  
 Nimmer alsdann begehr' ich mit himmlischen Mächten zu kämpfen.  
**130** Nicht des Dryas Erzeugter einmal, der starke Lykurgos,  
 Lebete lang', als gegen des Himmels Mächt' er gestrebet:  
 Welcher vordem Dionysos des Rasenden Ammen verfolgend  
 Scheucht' auf dem heiligen Berge Nysseion; alle zugleich nun  
 Warfen die laubigen Stäbe dahin, da der Mörder Lykurgos  
**135** Wild mit dem Stachel sie schlug; auch selbst Dionysos voll Schreckens  
 Taucht' in die Woge des Meers, und Thetis nahm in den Schoß ihn,  
 Welcher erbebt', angstvoll vor der drohenden Stimme des Mannes.

Jenem zürnten darauf die ruhig wartenden Götter,  
 Und ihn blendete Zeus der Donnerer; auch nicht lange  
**140** Lebt' er hinfert, denn verhaßt war er allen unsterblichen Göttern.  
 Nicht mit seligen Göttern daher verlang' ich zu kämpfen.  
 Wenn du ein Sterblicher bist, und genährt von Früchten des Feldes;  
 Komm dann heran, daß du eilig das Ziel des Todes erreichest.  
 Ihm antwortete drauf Hippolochos edler Erzeugter:  
**145** Tydeus' mutiger Sohn, was fragst du nach meinem Geschlechte?  
 Gleich wie Blätter im Walde, so sind die Geschlechte der Menschen;  
 Einige streuet der Wind auf die Erd' hin, andere wieder  
 Treibt der knospende Wald, erzeugt in des Frühlings Wärme:  
 So der Menschen Geschlecht, dies wächst, und jenes verschwindet.  
**150** Soll ich dir aber auch dieses verkündigen, daß du erkennest  
 Unserer Väter Geschlecht; wiewohl es vielen bekannt ist:  
 Ephyra heißt die Stadt in der rossenährenden Argos,  
 Wo einst Sisyphos war, der schlaueste unter den Männern,  
 Sisyphos, Äolos' Sohn; der zeugte sich Glaukos zum Sohne;  
**155** Glaukos darauf erzeugte den herrlichen Bellerophontes,  
 Welchem Schönheit die Götter und reizende Männerstärke  
 Schenkten. Aber Prötos ersann ihm Böses im Herzen:  
 Der aus dem Land' ihn vertrieb, dieweil er mächtig beherrschte  
 Argos' Volk, und Zeus ihm Gewalt und Scepter vertraut.  
**160** Jenem entbrannt' Anteia, des Prötos edle Gemahlin,  
 Daß sie in heimlicher Lieb' ihm nahete; doch er gehorcht' ihr  
 Nicht, der edelgesinnte verständige Bellerophontes.  
 Jetzo mit Lug erschien sie, und sprach zum Könige Prötos:  
 Tod dir, oder, o Prötos, erschlage du Bellerophontes,  
**165** Welcher frech zuliebe mir nahete, wider mein Wollen.  
 Jene sprach's; und der König ereiferte, solches vernehmend.  
 Dennoch vermied er den Mord, denn grauvoll war der Gedank' ihm.  
 Aber er sandt' ihn gen Lykia hin, und traurige Zeichen  
 Gab er ihm, Todesworte geritzt auf gefaltetem Täflein:  
**170** Daß er dem Schwäher die Schrift darreicht', und das Leben verlöre.  
 Jener wandelte hin, im Geleit obwaltender Götter.  
 Als er nunmehr gen Lykia kam, und dem strömenden Xanthos;  
 Ehrt' ihn gewogenes Sinns der weiten Lykia König,  
 Gab neuntägigen Schmaus, und erschlug neun Stiere zum Opfer.  
**175** Aber nachdem zum zehnten die rosige Eos emporstieg;  
 Jetzo fragt' er den Gast, und hieß ihn zeigen das Täflein,  
 Welches ihm sein Eidam, der herrschende Prötos gesendet.  
 Als er nunmehr vernommen die Todesworte des Eidams;  
 Hieß er jenen zuerst die ungeheure Chimära  
**180** Töten, die göttlicher Art, nicht menschlicher, dort emporwuchs:  
 Vorn ein Löw', und hinten ein Drach', und Geiß in der Mitte,  
 Schrecklich umher aushauchend die Macht des lodernden Feuers.  
 Doch er tötete sie, der unsterblichen Zeichen vertrauend.  
 Weiter darauf bekämpft' er der Solymer ruchbare Völker;  
**185** Diesen nannt' er den härtesten Kampf, den er kämpfte mit Männern.  
 Drauf zum dritten erschlug er die männliche Hord' Amazonen.  
 Aber dem Kehrenden auch entwarf er betrügliche Täuschung:  
 Wählend die tapfersten Männer des weiten Lykierlandes  
 Legt' er im Hinterhalt; allein nicht kamen sie heimwärts,  
**190** Alle vertilgte sie dort der untadeliche Bellerophontes.  
 Als er nunmehr erkannte den Held aus göttlichem Samen;  
 Hielt er dort ihn zurück, und gab ihm die blühende Tochter,  
 Gab ihm auch die Hälfte der Königsehre zum Anteil.

Auch die Lykier maßen ihm auserlesene Güter,  
**195** Schön an Ackergefeld' und Pflanzungen, daß er sie baute.  
 Jene gebar drei Kinder dem feurigen Bellerophontes,  
 Erst Isandros, Hippolochos dann, und Laodameia.  
 Laodameia ruht' in Zeus des Kroniden Umarmung;  
 Und sie gebar Sarpedon, den götterähnlichen Streiter.  
**200** Aber nachdem auch jener den Himmlischen allen verhaft ward;  
 Irrt' er umher einsam, sein Herz von Kummer verzehret,  
 Durch die aleische Flur, der Sterblichen Pfade vermeidend.  
 Seinen Sohn Isandros ermordete Ares der Wütrich,  
 Als er kämpft' in der Schlacht mit der Solymer ruchtbaren Völkern.  
**205** Artemis raubt' ihm die Tochter, die Lenkerin goldener Zügel.  
 Aber Hippolochos zeugete mich, ihn rühm' ich als Vater.  
 Dieser sandt' in Troja mich her, und ermahnte mich sorgsam,  
 Immer der erste zu sein, und vorzustreben vor andern;  
 Daß ich der Väter Geschlecht nicht schändete, welches die ersten  
**210** Männer in Ephyra zeugt', und im weiten Lykierlande.  
 Sieh aus solchem Geschlecht und Blute dir rühm' ich mich jetzo.

► Thuk. 1, 128f (ÜS: LANDMANN)

[128] Als Antwort forderten die Athener, Sparta solle den Fluch vom Tainaron bannen. Die Spartaner hatten nämlich einst schutzflehende Heloten aus dem Poseidontempel am Tainaron aufstehn heissen, aber dann zum Tode geführt; das halten sie auch selbst für den Grund des grossen Erdbebens in Sparta. Ferner verlangten die Athener, Sparta müsse den Frevel an der Athena Chalkioikos bannen; damit hatte es folgendes auf sich: als der Spartaner Pausanias das erstemal von seinem Amt am Hellespont nach Sparta zurückgerufen und vor Gericht von Schuld freigesprochen war, wurde er nicht mehr von Staats wegen ausgesandt, aber auf eigene Faust fuhr er in einem Schiff von Hermione ohne Auftrag der Spartaner an den Hellespont, angeblich zum Hellenischen Krieg, in Wahrheit, um seine Verhandlungen mit dem Perserkönig zu fördern, die er zuerst angesponnen hatte und die ihm die Herrschaft in Hellas einbringen sollten. Er hatte sich nämlich beim Grosskönig in Gunst gesetzt und damit die ganze Sache eingeleitet, als er bei seinem vorigen Aufenthalt nach dem Rückzug aus Zypern Byzanz den Persern abgewann und einige Verwandte und Freunde des Grosskönigs, die damals mit gefangen wurden, heimlich vor den Verbündeten dem König zurücksandte, wobei er vorgab, sie seien ihm entwischt. Er bediente sich dabei der Hilfe des Gongylos aus Eretria, dem er Byzanz und die Gefangenen übergeben hatte. Dieser musste ihm auch einen Brief hintragen, in dem geschrieben war (wie später an den Tag kam): «Pausanias, Führer von Sparta, sendet dir, um dir gefällig zu sein, diese Kriegsgefangenen zurück, und ich tue dir den Vorschlag, wenn es dir auch recht ist, deine Tochter zu heiraten und dir Sparta und das übrige Hellas untertan zu machen. Ich glaube dazu imstande zu sein, wenn wir uns gemeinsam beraten. Sagt dir etwas zu von diesen Dingen, so sende einen zuverlässigen Mann an die Küste, durch den wir inskünftig miteinander reden können.» Soviel besagte das Schreiben.  
[129] Xerxes freute sich über den Brief und sandte Artabazos Pharnakes' Sohn an die Küste, mit der Weisung, die Satrapie von Daskyleion zu übernehmen und Megabates, der sie bisher verwaltete, abzulösen, und gab ihm für Pausanias einen Antwortbrief mit, den er baldigst nach Byzanz bestellen solle unter Vorzeigung des Siegels, und wenn ihm Pausanias Aufträge gebe in Sachen des Königs, solle er sie aufs beste und treueste erfüllen. Wie nun Artabazos hinkam, tat er alles, wie ihm gesagt war, und übersandte den Brief. Darin stand folgende Antwort: «So spricht

König Xerxes zu Pausanias: Wegen der Männer, die du mir übers Meer aus Byzanz gerettet hast, soll dir die Wohltat in unserem Hause für immer zu Dank verzeichnet sein, und was du mir schriebst, sagt mir zu. Nicht Nacht noch Tag soll dich hemmen, dass du säumest zu tun, was du mir versprichst; kein Bedarf an Gold und Silber darf dich hindern, noch an Kriegsvolk, wenn du es irgendwo zur Stelle brauchst, sondern mit dem edlen Artabazos, den ich dir schicke, betreibe du unbedenklich meine und deine Dinge, wie es sich für uns beide am schönsten und besten fügt.»

### Die Entstehung der römischen Briefkultur

- 'Macedo'-Brief (P. Vindob. L 1 c), datiert zw. 26 u. 2 v. Chr.




Abb.: SEIDER, R.: Paläographie der lateinischen Papyri I 1. Stuttgart 1972. S. 29f. Tafel II.

**Umschrift:**

[Di]aconu[s] MacedonI suo  
 salutem ·  
 dissimulare · non potuI · ut · tibI  
 non scriberem · te · ualdisse  
 decrIminatum · aput · Iucundum  
 et · DIdom · a · DomItiI · l(Iberto) · itaque 5  
 mI · frater · da · operam · ut  
 ualenter · satisfacias · illIs  
 NIreo quoque · conlliberto · suo · multa  
 sc[e]llera · de te · scripsIt · quI · ut ·  
 suspicor · creditit · eI · et · te · non · mediocriter  
 lacerat · contubernales · meI · te  
 salutant · ti · tuos · salutes · rogo  
 ama · nos · ut instituistI ·  
 uale 15  
 XIII · K(alendas) · August(as) · *Epeiph kz*

Nach: KRAMER, J. : Die Verwendung des Apex und P. Vindob. L 1 c. In : ZPE 88 (1991).  
 141-150. 146.

- CUGUSI, P. : Epistolographi Latini Minores. Vol. I. Aetatem Anteciceronianam Amplexens. 1. Testimonia et Fragmenta. Paravia, Torino 1970. S. 67ff.

**CXXIV. - CORNELIA P. F.****EPISTULAE AD CAIUM FILIUM**

1. CIC. *Brut.* 211 Legimus epistulas Corneliae, matris Gracchorum; apparat filios non tam in gremio educatos quam in sermone matris.
2. QUINT. *inst.* 1, 1, 6 Gracchorum eloquentiae multum contulisse accepimus Corneliam matrem, cuius doctissimus sermo in posteros quoque est epistulis traditus.
3. *Codd. Corneli Nepotis*, in fin. Verba ex epistula Corneliae Gracchorum matris ex libro Cornelii Nepotis de Latinis historicis excerpta: „Dices pulchrum esse inimicos ulcisci. id neque maius neque pulchrius cuiquam atque mihi esse videtur, sed si liceat re publica salva ea persequi. sed quatenus id fieri non potest, multo tempore multisque partibus inimici nostri non peribunt, atque uti nunc sunt erunt, potius quam res publica profligetur atque pereat“. [Nep. fr. 1]

**4. Eadem alio loco:**

„Verbis conceptis deierare ausim, praeterquam qui Tiberium Gracchum necarunt, neminem inimicum tantum molestiae tantumque laboris quantum te ob has res mihi tradidisse: 2. quem oportebat omnium eorum, quos antehac habui liberos, partis eorum tolerare atque curare, ut quam minimum sollicitudinis in senecta haberem, utique quaecumque ageres ea velles maxime mihi placere, atque uti nefas haberes rerum maiorum adversus meam sententiam quicquam facere, praesertim mihi, cui parva pars vitae superest. ne id quidem tam breve spatium potest opitulari, quin et mihi adversere et rem publicam profliges? 3. denique quae paua erit? ecquando desinet familia nostra insanire? ecquando modus ei rei haberi poterit? ecquando desinemus et

habentes et praebentes molestiis desistere? ecquando perpudescet miscenda atque perturbanda re publica? 4. sed si omnino id fieri non potest, ubi ego mortua ero, petito tribunatum: per me facito quod lubabit, cum ego non sentiam. ubi mortua ero, parentabis mihi et invocabis deum parentem. in eo tempore non pudet te eorum deum preces expetere, quos vivos atque praesentes relictos atque desertos habueris? 5. ne ille sirit Iuppiter te ea perseverare, nec tibi tantam dementiam venire in animum! et si perseveras, vereor ne in omnem vitam tantum laboris culpa tua recipias, uti in nullo tempore tute tibi placere possis“.

**5.** PLUT. *C. Gracc.* 13, 1 Ἐπεὶ δὲ καὶ τὸν Ὀπίμιον καταστήσαντες ὑπατον τῶν νόμων πολλοὺς διέγραφον καὶ τὴν Καρχηδόνος ἐκίνουν διάταξιν, ἐρεθίζοντες τὸν Γάιον ὡς ἀν αἰτίαν <ὑπ> ὄργης παρασχών ἀναιρεθείη, τὸν μὲν πρώτον χρόνον ἐκαρτέρει, τῶν δὲ φύλων καὶ μάλιστα τοῦ Φουλβίου παροξύνοντος, ὡρμησε πάλιν συνάγειν τοὺς ἀντιταξομένους πρὸς τὸν ὑπατον. ἐνταῦθα καὶ τὴν μητέρα λέγουσιν αὐτῷ συστασιάσαι, μισθουμένην ἀπὸ τῆς ξένης κρύφα καὶ πεμπουσαν εἰς Ῥώμην ἄνδρας, ὡς δὴ θεριστάς ταῦτα γὰρ ἐν τοῖς ἐπιστολίοις αὐτῆς ἥντιγμένα γεγράφθαι πρὸς τὸν νιόν. ἔτεροι δὲ καὶ πάνυ τῆς Κορνηλίας δυσχεραινούσης ταῦτα πράττεσθαι λέγουσιν.

- CUGUSI, P. : *Epistolographi Latini Minores*. Vol. I. Aetatem Anteciceronianam Amplectens. 1. *Testimonia et Fragmenta*. Paravia, Torino 1970. S. 67ff.

## LXVI. - M. PORCIUS CATO CENSORINUS

### EPISTULAE AD FILIUM

**6.** CIC. *off.* 1, [36] Popilius imperator tenebat provinciam, in cuius exercitu Catonis filius tiro militabat. Cum autem Popilio videretur unam dimittere legionem, Catonis quoque filium, qui in eadem legione militabat, dimisit. Sed cum amore pugnandi in exercitu remansisset, Cato ad Popilium scripsit, ut, si eum patitur in exercitu remanere, secundo eum obliget militiae sacramento, quia priore amisso iure cum hostibus pugnare non poterat. ] [37] M. quidem Catonis senis est epistula ad M. filium, in qua scribit se audisse eum missum factum esse a consule cum in Macedonia bello Persico miles esset. Monet igitur ut caveat, ne proelium ineat; negat enim ius esse, qui miles non sit cum hoste pugnare (=frg. 4 p. 84 Jord.).

PLUT. *quaest. Rom.* 39 „Διὰ τί τοῖς μὴ στρατευομένοις μὲν ἐν στρατοπέδῳ δ’ ἄλλως ἀναστρεφομένοις οὐκ ἔξην ἄνδρα βαλεῖν πολέμιον οὐδὲ τρῶσαι; καὶ τοῦτο Κάτων ὁ πρεσβύτης ἐν ἐπιστολῇ τινι δεδήλωκε, γράφων πρὸς τὸν νιόν καὶ κελεύων, εἰ παρεθείη τῆς στρατείας αποπληρώσας τὸν χρόνον, ὑποστρέψειν, ἢ προσμένοντα λαβεῖν παρὰ τοῦ στρατηγοῦ τὸ ἔξειναι τρῶσαι καὶ ἀνελεῖν πολέμιον.

**7.** PLUT. *Cato maior* 39 ἐφ’ ὁ καὶ Ποιῆλος ὁ στρατηγὸς ἥγάσθη τὸ μειράκιον, καὶ Κάτωνος αὐτοῦ φέρεται τις ἐπιστολὴ πρὸς τὸν νιόν, ὑπερφυῶς ἐπαινοῦντος τὴν περὶ τὸ ξίφος φιλοτιμίαν αὐτοῦ καὶ σπουδήν (=frg. 3 p. 84 Jord.).

**8.** „Ex dolore, ex febri, ex siti, ex medicamentis bibendis“.

**9.** „Interempto praestari“ (=frg. 5 p. 84 Jord.).

### **Ciceros Briefwechsel mit Servius Sulpicius Rufus und der schönste Trostbrief des klassischen Altertums**

► Cic. *fam.* 4, 5 (ed. SHACKLETON BAILEY)

[1] Postea quam mihi renuntiatum est de obitu Tulliae, filiae tuae, sane quam pro eo ac debui graviter molesteque tuli communemque eam calamitatem existimavi, qui, si istic adfuissem, neque tibi defuissem coramque meum dolorem tibi declarassem; etsi genus hoc consolationis miserum atque acerbum est propterea quia per quos ea confieri debet, propinquos ac familiaris, ii ipsi pari molestia afficiuntur neque sine lacrimis multis id conari possunt, uti magis ipsi videantur aliorum consolatione indigere quam aliis posse suum officium praestare. tamen, quae in praesentia in mentem mihi venerunt, decrevi brevi ad te perscribere, non quo ea te fugere existimem, sed quod forsitan dolore impeditus minus ea perspicias. [2] quid est, quod tanto opere te commoveat tuus dolor intestinus? cogita quem ad modum adhuc fortuna nobiscum egerit; ea nobis erecta esse quae hominibus non minus quam liberi cara esse debent, patriam, honestatem, dignitatem, honores omnis. hoc uno incommodo addito quid ad dolorem adiungi potuit? aut qui non in illis rebus exercitatus animus callere iam debet atque omnia minoris existimare? [3] at illius vicem, credo, doles. quotiens in eam cogitationem necesse est et tu veneris et nos saepe incidimus, hisce temporibus non pessime cum iis esse actum quibus sine dolore licitum est mortem cum vita commutare! quid autem fuit quod illam hoc tempore ad vivendum magno opere invitare posset? quae res, quae spes, quod animi solacium? ut cum aliquo adolescente primario coniuncta aetatem gereret? licitum est tibi, credo, pro tua dignitate ex hac iuventute generum diligere cuius fidei liberos tuos te tuto committere putares. an ut ea liberos ex sese pareret quos cum florentis videret laetaretur, qui rem a parente traditam per se tenere possent, honores ordinatim petituri essent, in re publica, in amicorum negotiis libertate sua usuri? quid horum fuit quod non prius quam datum est ademptum sit? at vero malum est liberos amittere. malum, nisi hoc peius est, haec sufferre et perpeti. [4] quae res mihi non mediocrem consolationem attulit volo tibi commemorare, si forte eadem res tibi dolorem minuere possit. ex Asia rediens cum ab Aegina Megaram versus navigarem, coepi regiones circum circa prospicere. post me erat Aegina, ante me Megara, dextra Piraeus, sinistra Corinthus, quae oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata et diruta ante oculos iacent. coepi egomet tecum sic cogitare: 'hem! nos homunculi indignamur si quis nostrum interierit aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, cum uno loco tot oppidum cadavera projecta iacent? visne tu te, Servi, cohibere et meminisse hominem te esse natum?' crede mihi, cogitatione ea non mediocriter sum confirmatus. hoc idem, si tibi videtur, fac ante oculos tibi proponas: modo uno tempore tot viri clarissimi interierunt, de imperio populi Romani tanta deminutio facta est, omnes provinciae conquassatae sunt: in unius mulierculae animula si iactura facta est, tanto opere commoveris? quae si hoc tempore non diem suum obisset, paucis post annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat. [5] etiam tu ab hisce rebus animum ac cogitationem tuam avoca atque ea potius reminiscere quae digna tua persona sunt: illam, quam diu ei opus fuerit, vixisse, una cum re publica fuisse, te, patrem suum, praetorem, consulem, augurem vidisse, adolescentibus primariis nuptam fuisse, omnibus bonis prope perfunctam esse, cum res publica occideret, vita excessisse. quid est quod tu aut illa cum Fortuna hoc nomine queri possitis? denique noli te oblivisci Ciceronem esse et eum qui aliis consueris praecipere et dare consilium, neque imitare malos medicos, qui in alienis morbis profitentur tenere se medicinae scientiam, ipsi se curare non possunt, sed

potius quae aliis tute praecipere soles, ea tute tibi subiace atque apud animum propone. [6] nullus dolor est quem non longinquitas temporis minuat ac molliat. hoc te exspectare tempus tibi turpe est ac non ei rei sapientia tua te occurrere. quod si qui etiam inferis sensus est, qui illius in te amor fuit pietasque in omnis suos, hoc certe illa te facere non vult. da hoc illi mortuae, da ceteris amicis ac familiaribus, qui tuo dolore maerent, da patriae, ut, si qua in re opus sit, opera et consilio tuo uti possit. denique, quoniam in eam fortunam devenimus ut etiam huic rei nobis serviendum sit, noli committere ut quisquam te putet non tam filiam quam rei publicae tempora et aliorum victoriam lugere. plura me ad te de hac re scribere pudet, ne videar prudentiae tuae diffidere. qua re, si hoc unum proposuero, finem faciam scribendi: vidimus aliquotiens secundam pulcherrime te ferre fortunam magnamque ex ea re te laudem apisci; fac aliquando intellegamus adversam quoque te aequa ferre posse neque id maius quam debeat tibi onus videri, ne ex omnibus virtutibus haec una tibi videatur deesse. quod ad me attinet, cum te tranquilliores animo esse cognoro, de iis rebus quae hic geruntur quemadmodumque se provincia habeat certiorem faciam.

vale.

**Eine ungehaltene Rede einer ungehaltenen Frau:  
 Didos Brief an Aeneas**

- Ov. *Her.* 7 (ed. PALMER)

Sic ubi fata vocant, udis abiectus in herbis  
     ad vada Maeandri concinit albus olor.  
 Nec quia te nostra sperem prece posse moveri,  
     alloquor: adverso movimus ista deo.  
 sed merita famam corpusque animumque pudicum         5  
     cum male perdiderim, perdere verba leve est.  
 Certus es ire tamen miseramque relinquere Didon  
     atque idem venti vela fidemque ferent?  
 certus es, Aenea, cum foedere solvere naves,         10  
     quaequa ubi sint nescis, Itala regna sequi?  
 nec nova Carthago, nec te crescentia tangunt  
     moenia nec sceptro tradita summa tuo?  
 facta fugis, facienda petis: quaerenda per orbem  
     altera, quae sita est altera terra tibi.  
 ut terram invenias, quis eam tibi tradet habendam?         15  
     quis sua non notis arva tenenda dabit?  
 alter habendus amor tibi restat et altera Dido:  
     quamque iterum fallas, altera danda fides.  
 quando erit, ut condas instar Carthaginis urbem,  
     et videas populos altus ab arce tuos?         20  
 omnia ut eveniant, nec di tua vota morentur,  
     unde tibi, quae te sic amet, uxor erit?  
 uror, ut inducto ceratae sulpure taedae:  
     Aenean animo noxque diesque refert.  
 ille quidem male gratus et ad mea munera surdus         25  
     et quo, si non sim stulta, carere velim:  
 non tamen Aenean, quamvis male cogitat, odi,  
     sed queror infidum questaque peius amo.  
 parce, Venus, nurui, durumque amplectere fratrem,  
     frater Amor; castris militet ille tuis.         30  
 aut ego quem coepi, neque enim dedignor, amare,  
     materiam curae praebat ille meae.  
 fallor, et ista mihi falso iactatur imago:  
     matris ab ingenio dissidet ille suae.  
 te lapis et montes innataque rupibus altis         35  
     robora, te saevae progenuere ferae,  
 aut mare, quale vides agitari nunc quoque ventis,  
     quo tamen adversis fluctibus ire paras.  
 quo fugis? obstat hiems: hiemis mihi gratia prospicit.  
     adspice, ut eversas concitet Eurus aquas.         40  
 quod tibi malueram, sine me debere procellis:  
     iustior est animo ventus et unda tuo.  
 Non ego sum tanti - quod non censeris inique? -  
     ut pereas, dum me per freta longa fugis.  
 exerces pretiosa odia et constantia magno,         45  
     si, dum me careas, est tibi vile mori.

iam venti ponent, strataque aequaliter unda  
     caeruleis Triton per mare curret equis.  
 tu quoque cum ventis utinam mutabilis esses!  
     et, nisi duritia robora vincis, eris.                                 50  
 quid, si nescires, insana quid aequora possunt?  
     expertae totiens tam male credis aquae?  
 ut pelago suadente etiam retinacula solvas,  
     multa tamen latus tristia pontus habet.  
 nec violasse fidem temptantibus aequora prodest:  
     perfidiae poenas exigit ille locus.                                 55  
 praecipue cum laesus amor, quia mater Amorum  
     nuda Cytheriacis edita fertur aquis.  
 Perdita ne perdam, timeo, noceamve nocenti,  
     neu bibat aequoreas naufragus hostis aquas.                     60  
 vive precor: sic te melius quam funere perdam:  
     tu potius leti causa ferere mei.  
 finge, age, te rapido (nullum sit in omine pondus).  
     turbine deprendi: quid tibi mentis erit?  
 protinus occurrit falsae periuria linguae                             65  
     et Phrygia Dido fraude coacta mori;  
 coniugis ante oculos deceptae stabit imago  
     tristis et effusis sanguinolenta comis.  
 quidquid id est "tantum merui! concedite!" dicas,  
     quaequa cadent, in te fulmina missa putas?                     70  
 Da breve saevitiae spatium pelagique tuaeque:  
     grande morae pretium tuta futura via est.  
 nec mihi tu curae; pueru parcatur Iulo:  
     te satis est titulum mortis habere meae.  
 quid puer Ascanius, quid di meruere Penates?                     75  
     ignibus erectos obruet unda deos?  
 sed neque fers tecum, nec, quae mihi, perfide, iactas,  
     presserunt umeros sacra paterque tuos.  
 omnia mentiris, neque enim tua fallere lingua  
     incipit a nobis, primaque plector ego.                             80  
 si quaeras, ubi sit formosi mater Iuli,  
     occidit a duro sola relicta viro.  
 haec mihi narraras: at me movere: merentem  
     ure: minor culpa poena futura mea est.  
 Nec mihi mens dubia est, quin te tua numina damnen:  
     per mare, per terras septima iactat hiems.                     85  
 fluctibus ejectum tuta statione recepi  
     vixque bene auditio nomine regna dedi.  
 his tamen officiis utinam contenta fuisset,  
     et mihi concubitus fama sepulta foret!                             90  
 illa dies nocuit, qua nos declive sub antrum  
     Caeruleus subitis compulit imber aquis.  
 audieram vocem: nymphas ululasse putavi:  
     Eumenides fati signa dedere mei.  
 Exige, laese pudor, poenas violate Sychaei ...                     95  
     \* \* \*

ad quas, me miseram, plena pudoris eo.  
 est mihi marmorea sacratus in aede Sychaeus:  
     oppositae frondes velleraque alba tegunt:  
 hinc ego me sensi noto quater ore citari;  
     ipse sono tenui dixit "Elissa, veni!"  
 Nulla mora est: venio; venio tibi debita coniunx;

sum tamen admissi tarda pudore mei.	
da veniam culpae: decepit idoneus auctor:	105
invidiam noxae detrahit ille meae.	
diva parens seniorque pater, pia sarcina nati,	
spem mihi mansuri rite dedere viri.	
si fuit errandum, causas habet error honestas:	
adde fidem, nulla parte pigendus erit.	110
Durat in extreum vitaeque novissima nostrae	
prosequitur fati, qui fuit ante, tenor.	
occidit internas coniunx mactatus ad aras,	
et sceleris tanti praemia frater habet;	
exul agor cineresque viri patriamque relinquo	115
et feror in duras hoste sequente vias;	
adPLICOR ignotis fratrique elapsa fretoque	
quod tibi donavi, perfide, litus emo.	
urbem constitui lateque patentia fixi	
moenia finitimis invidiosa locis.	120
bella tument: bellis peregrina et femina temptor	
vixque rudis portas urbis et arma paro.	
mille procis placui, qui me coiere querentes;	
nescio quem thalamis praeposuisse suis.	
quid dubitas vinctam Gaetulo tradere Iarbae?	125
praebuerim sceleri bracchia nostra tuo.	
est etiam frater, cuius manus impia possit	
respergi nostro, sparsa cruento viri.	
pone deos et quae tangendo sacra profanas:	
non bene caelestis impia dextra colit.	130
si tu cultor eras elapsis igne futurus,	
paenitet elapsos ignibus esse deos.	
forsitan et gravidam Didon, scelerate, relinquas,	
parsque tui lateat corpore clausa meo.	
accedet fatis matris miserabilis infans,	135
et nondum nati funeris auctor eris,	
cumque parente sua frater morietur Iuli,	
poenaque conexos auferet una duos.	
"Sed iubet ire deus." vellem, vetuisset adire,	
Punica nec Teucris pressa fuissest humus.	140
hoc duce nempe deo ventis agitaris iniquis	
et teris in rapido tempora longa freto!	
Pergama vix tanto tibi erant repetenda labore,	
Hectore si vivo quanta fuere forent.	
non patrium Simoenta petis, sed Thybridis undas.	145
nempe ut pervenias, quo cupis, hospes eris.	
utque latet vitatque tuas abstrusa carinas,	
vix tibi continget terra petita seni.	
Hos potius populos in dotem, ambage remissa,	
accipe et advectas Pygmalionis opes.	150
Ilion in Tyriam transfer felicius urbem.	
resque loco regis sceptraque sacra tene.	
si tibi mens avida est belli, si quaerit Iulus,	
unde suo partus Marte triumphus eat,	
quem superet, nequid desit, praebebimus hostem:	155
hic pacis leges, hic locus arma capit.	
tu modo, per matrem fraternaque tela, sagittas,	
perque fugae comites, Dardana sacra, deos,	
- sic superent, quoscumque tua de gente reportat	

Mars ferus, et damni sit modus ille tui, 160  
 Ascaniusque suos feliciter implet annos,  
 et senis Anchisae molliter ossa cubent! -  
 parce, precor, domui, quae se tibi tradit habendam:  
 quod crimen dicis praeter amasse meum?  
 non ego sum Pthias magnisque oriunda Mycenis, 165  
 nec steterunt in te virque paterque meus.  
 si pudet uxoris, non nupta, sed hospita dicar:  
 dum tua sit Dido quidlibet esse feret.  
 nota mihi freta sunt Afrum frangentia litus:  
 temporibus certis dantque negantque viam. 170  
 cum dabit aura viam, praebebis carbasa ventis:  
 nunc levis eiectam continet alga ratem.  
 tempus ut observem, manda mihi: serius ibis,  
 nec te, si cupies, ipsa manere sinam.  
 et socii requiem poscunt, laniataque classis 175  
 postulat exiguae semirefecta moras.  
 pro meritis et si qua tibi debebimus ultra,  
 pro spe coniugii tempora parva peto;  
 dum freta mitescunt et amor, dum tempore et usu  
 fortiter edisco tristia posse pati. 180  
 si minus, est animus nobis effundere vitam:  
 in me crudelis non potes esse diu.  
 aspicias utinam, quae sit scribentis imago:  
 scribimus, et gremio Troicus ensis adest,  
 perque genas lacrimae strictum labuntur in ensem, 185  
 qui iam pro lacrimis sanguine tinctus erit.  
 quam bene convenient fato tua munera nostro!  
 instruis impensa nostra sepulcra brevi.  
 nec mea nunc primum feriuntur pectora telo:  
 ille locus saevi vulnus amoris habet. 190  
 Anna soror, soror Anna, meae male conscia culpae,  
 iam dabis in cineres ultima dona meos.  
 nec consumpta rogis inscribar ELISSA SYCHAEI,  
 hoc tamen in tumuli marmore carmen erit:  
 PRAEBVIT AENEAS ET CAVSAM MORTIS ET ENSEM; 195  
 IPSA SVA DIDO CONCIDIT VSA MANV.

### Briefe aus der Verbannung

► Ov. *ep. ex pont.* 1, 1 (ed. OWEN)

Naso Tomitanae iam non novus incola terrae  
 hoc tibi de Getico litore mittit opus.  
 si vacat, hospitio peregrinos, Brute, libellos  
 excipe, dumque aliquo, quolibet abde modo.  
 publica non audent intra monimenta venire, 5  
 ne suus hoc illis clausurit auctor iter.  
 a, quotiens dixi 'Certe nil turpe docetis:  
 ite, patet castis versibus ille locus.'  
 non tamen accedunt, sed, ut aspicis ipse, latere  
 sub Lare privato tutius esse putant. 10  
 quaeris ubi hos possis nullo componere laeso?  
 qua steterant Artes, pars vacat illa tibi.  
 quid veniant, novitate roges fortasse sub ipsa.  
 accipe, quodcumque est, dummodo non sit amor.  
 invenies, quamvis non est miserabilis index, 15  
 non minus hoc illo triste, quod ante dedi.  
 rebus idem, titulo differt; et epistula cui sit  
 non occultato nomine missa docet.  
 nec vos hoc vultis, sed nec prohibere potestis,  
 Musaque ad invitos officiosa venit. 20  
 quicquid id est, adiunge meis. nihil impedit ortos  
 exule servatis legibus urbe frui.  
 quod metuas non est. Antoni scripta leguntur,  
 doctus et in promptu scrinia Brutus habet.  
 nec me nominibus furiosus confero tantis: 25  
 saeva deos contra non tamen arma tuli.  
 denique Caesareo, quod non desiderat ipse,  
 non caret e nostris ullus honore liber.  
 si dubitas de me, laudes admitte deorum,  
 et carmen dempto nomine sume meum. 30  
 adiuvat in bello pacatae ramus olivae:  
 proderit auctorem pacis habere nihil?  
 cum foret Aeneae cervix subiecta parenti,  
 dicitur ipsa viro flamma dedisse viam:  
 fert liber Aeneaden, et non iter omne patebit? 35  
 at patriae pater hic, ipsius ille fuit.  
 ecquis ita est audax, ut limine cogat abire  
 iactantem Pharia tinnula sistra manu?  
 ante deum Matrem cornu tibicen adunco  
 cum canit, exiguae quis stipis aera negat? 40  
 scimus ab inperio fieri nil tale Dianaee:  
 unde tamen uiat, vaticinator habet.  
 ipsa movent animos superorum numina nostros,  
 turpe nec est tali credulitate capi.  
 en ego pro sistro Phrygiique foramine buxi 45  
 gentis Iuleae nomina sancta fero.  
 vaticinor moneoque. locum date sacra ferenti.

non mihi, sed magno poscitur ille deo. nec quia vel merui vel sensi principis iram, a nobis ipsum nolle putate coli.	50
vidi ego linigerae numen violasse fatentem Isidis Isiacos ante sedere focos. alter, ob huic similem privatus lumine culpam, clamabat media se meruisse via. talia caelestes fieri paeconia gaudent,	55
ut sua quid valeant numina teste probent. saepe levant poenas ereptaque lumina reddunt, cum bene peccati paenituisse vident. paenitet, o! si quid miserorum creditur ulli, paenitet, et facto torqueor ipse meo.	60
cumque sit exilium, magis est mihi culpa dolori; estque pati poenam, quam meruisse, minus. ut mihi di faveant, quibus est manifestior ipse, poena potest demi, culpa perennis erit. mors faciet certe, ne sim, cum venerit, exul:	65
ut non peccarim mors quoque non faciet. non igitur mirum, si mens mea tabida facta de nive manantis more liquescit aquae. estur ut occulta vitiata teredine navis, aequorei scopulos ut cavat unda salis,	70
roditur ut scabra positum rubigine ferrum conditus ut tineae carpitur ore liber, sic mea perpetuos curarum pectora morsus, fine quibus nullo conficiantur, habent. nec prius hi mentem stimuli quam vita relinquet:	75
quiique dolet, citius quam dolor ipse, cadet. hoc mihi si superi, quorum sumus omnia credent, forsitan exigua dignus habebor ope, inque locum Scythico vacuum mutabor ab arcu. plus isto, duri, si precer, oris ero.	80

► Ov. *ep. ex pont.* 3, 9 (ed. OWEN)

Quod sit in his eadem sententia, Brute, libellis,  
carmina nescio quem carpere nostra refers:  
nil nisi me terra fruar ut propiore rogare,  
et quam sim denso cinctus ab hoste loqui.  
o, quam de multis vitium reprehenditur unum! 5  
hoc peccat solum si mea Musa, bene est.  
ipse ego librorum video delicta meorum,  
cum sua plus iusto carmina quisque probet.  
auctor opus laudat: sic forsitan Agrius olim  
Thersiten facie dixerit esse bona. 10  
iudicium tamen hic nostrum non decipit error,  
nec, quicquid genui, protinus illud amo.  
cur igitur, si me videam delinquere, peccem  
et patiar scripto crimen inesse rogas?  
non eadem ratio est sentire et demere morbos. 15  
sensus inest cunctis, tollitur arte malum.  
saepe aliquod verbum cupiens mutare reliqui,  
iudicium vires destituantque meum.  
saepe piget (quid enim dubitem tibi vera fateri?)

corrigere et longi ferre laboris onus. 20  
 scribentem iuvat ipse labor minuitque laborem,  
     cumque suo crescens pectore fervet opus.  
 corrigere ut res est tanto minus ardua quanto  
     magnus Aristarcho maior Homerus erat,  
 sic animum lento curarum frigore laedit 25  
     et cupidi cursus frena retentat equi.  
 atque ita di mites minuant mihi Caesaris iram,  
     ossaque pacata nostra tegantur humo,  
 ut mihi conanti nonnumquam intendere curas  
     fortunae species obstat acerba meae, 30  
 vixque mihi videor, faciam qui carmina, sanus  
     inque feris curem corrigere illa Getis.  
 nil tamen e scriptis magis excusabile nostris,  
     quam sensus cunctis paene quod unus inest.  
 laeta fere laetus cecini, cano tristia tristis: 35  
     conveniens operi tempus utrumque suo est.  
 quid nisi de vitio scribam regionis amarae,  
     utque loco moriar commodiore precer?  
 cum totiens eadem dicam, vix audior ulli,  
     verbaque profectu dissimulata carent. 40  
 et tamen haec eadem cum sint, non scripsimus isdem,  
     unaque per plures vox mea temptat opem.  
 an, ne bis sensum lector reperiret eundem,  
     unus amicorum, Brute, rogandus eras?  
 non fuit hoc tanti. confessio ignoscite, docti: 45  
     vilior est operis fama salute mea.  
 denique materiam, quam quis sibi finxerit ipse,  
     arbitrio variat multa poeta suo.  
 musa mea est index nimium quoque vera malorum,  
     atque incorrupti pondera testis habet. 50  
 nec liber ut fieret, sed uti sua cuique daretur  
     littera, propositum curaque nostra fuit.  
 postmodo collectas utcumque sine ordine iunxi:  
     hoc opus electum ne mihi forte putas.  
 da veniam scriptis, quorum non gloria nobis 55  
     causa, sed utilitas officiumque fuit.

### Briefeschreiben als Tätigkeit des gebildeten Aristokraten

- Plin. *ep.* 1, 1 (ed. SCHUSTER/HANSLIK)

C. Plinius Septico <claro> suo

[1] Frequenter hortatus es, ut epistulas, si quas paulo curatius scripsissem, colligerem publicaremque. Collegi non servato temporis ordine (neque enim historiam componebam), sed ut quaeque in manus venerat. [2] superest, ut nec te consilii nec me paeniteat obsequii. ita enim fiet, ut eas, quae adhuc neglectae iacent, requiram et, si quas addidero, non supprimam.

vale.

- Plin. *ep.* 1, 6 (ed. SCHUSTER/HANSLIK)

C. Plinius Cornelio Tacito suo s.

[1] Ridebis, et licet rideas. ego, ille quem nosti, apres tres et quidem pulcherrimos cepi. 'ipse?' inquis. ipse; non tamen ut omnino ab inertia mea et quiete discederem. ad retia sedebam; erat in proximo non venabulum aut lancea, sed stilus et pugillares; meditabar aliquid enotabamque, ut, si manus vacuas, plenas tamen ceras reportarem. [2] non est, quod contemnas hoc studendi genus; mirum est, ut animus agitatione motuque corporis excitetur: iam undique silvae et solitudo ipsumque illud silentium, quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta sunt. [3] proinde, cum venabere, licebit auctore me ut panarium et lagunculam sic etiam pugillares feras: experieris non Dianam magis montibus quam Minervam inerrare.

vale.

- Plin. *ep.* 1, 20 (ed. SCHUSTER/HANSLIK)

C. Plinius Cornelio Tacito suo s.

[1] Frequens mihi disputatio est cum quodam docto homine et perito, cui nihil aequum in causis agendis ut brevitas placet. [2] quam ego custodiendam esse confiteor, si causa permittat: alioqui praevaricatio est transire dicenda, praevaricatio etiam cursim et breviter attingere, quae sint inculcanda, infigenda, repetenda. [3] nam plerisque longiore tractatu vis quaedam et pondus accedit, utque corpori ferrum, sic oratio animo non ictu magis quam mira imprimitur. [4] hic ille mecum auctoritatibus agit ac mihi ex Graecis orationes Lysiae ostentat, ex nostris Gracchorum Catonisque, quorum sane plurimae sunt circumcisae et breves: ego Lysiae Demosthenen Aeschinem Hyperiden multosque praeterea, Gracchis et Catoni Pollionem, Caesarem, Caelium, in primis M. Tullium oppono, cuius oratio optima fertur esse, quae maxima. et hercule ut aliae bonae res, ita bonus liber melior est quisque, quo maior. [5] vides, ut statuas, signa, picturas, hominum denique multorumque animalium formas, arborum etiam, si modo sint decorae, nihil magis quam amplitudo commendet. idem orationibus evenit; quin etiam voluminibus ipsis auctoritatem quandam et pulchritudinem adicit magnitudo. [6] haec ille multaque alia, quae a me in eandem sententiam solent dici, ut est in disputando incomprehensibilis et lubricus, ita eludit ut contendat hos ipsos, quorum

orationibus nitar, pauciora dixisse, quam ediderint. [7] ego contra puto. testes sunt multae multorum orationes et Ciceronis pro Murena, pro Vareno, in quibus brevis et nuda quasi subscriptio quorundam criminum solis titulis indicatur: ex his apparent illum permulta dixisse, cum ederet, omisisse. [8] idem pro Cluentio ait se totam causam vetere instituto solum perorasse, et pro C. Cornelio quadriduo egisse, ne dubitare possimus, quae per plures dies (ut necesse erat) latius dixerit, postea recisa ac repurgata in unum librum grandem quidem, unum tamen, coartasse. [9] `at aliud est actio bona, aliud oratio.' scio nonnullis ita videri; sed ego (forsitan fallar) persuasum habeo posse fieri, ut sit actio bona, quae non sit bona oratio, non posse non bonam actionem esse, quae sit bona oratio. est enim oratio actionis exemplar et quasi 'archetypon'. [10] ideo in optima quaque mille figuras extemporalles invenimus, in iis etiam, quas tantum editas scimus, ut in Verrem, 'artificem quem? quemnam? recte admones: Polyclitum esse dicebant'. sequitur ergo, ut actio sit absolutissima, quae maxime orationis similitudinem expresserit, si modo iustum et debitum tempus accipiat; quod si negetur, nulla oratoris, maxima iudicis culpa est. [11] adsunt huic opinioni meae leges, quae longissima tempora largiuntur nec brevitatem dicentibus, sed copiam, hoc est diligentiam, suadent; quam praestare nisi in angustissimis causis non potest brevitas. [12] adiciam, quod me docuit usus, magister egregius. frequenter egi, frequenter iudicavi, frequenter in consilio fui: aliud alios movet, ac plerumque parvae res maximas trahunt. varia sunt hominum iudicia, variae voluntates. inde qui eandem causam simul audierunt, saepe diversum, interdum idem, sed ex diversis animi motibus sentiunt. [13] praeterea suae quisque inventioni favet et quasi fortissimum amplectitur, cum ab alio dictum est, quod ipse praevidit. omnibus ergo dandum est aliquid, quod teneant, quod agnoscant. [14] dixit aliquando mihi Regulus, cum simul adessemus: 'tu omnia, quae sunt in causa, putas exsequenda; ego iugulum statim video, hunc premo.' premit sane, quod elegit, sed in eligendo frequenter errat. [15] respondi posse fieri, ut genu esset aut talus, ubi ille iugulum putaret. 'at ego', inquam, 'qui iugulum perspicere non possum, omnia pertempto, omnia experior, `πάντα λίθοι' denique `κινῶ', [16] utque in cultura agri non vineas tantum, verum etiam arbusta, nec arbusta tantum, verum etiam campos curo et exerceo, utque in ipsis campis non far aut siliginem solam, sed hordeum, fabam ceteraque legumina sero, sic in actione plura quasi semina latius spargo, ut, quae provenerint, colligam. [17] neque enim minus imperspicua, incerta, fallacia sunt iudicium ingenia quam tempestatum terrarumque. nec me praeterit summum oratorem Periclen sic a comico Eupolide laudari:

πρὸς δέ γ' αὐτοῦ τῷ τάχει  
πειθώ τις ἐπεκάθιζεν επὶ τοῖς χείλεσιν·  
οὔτως ἐκῆλει καὶ μόνος τῶν ῥητόρων  
τὸ κέντρον ἐγκατέλειπε τοῖς ἀκροωμένοις.

[18] verum huic ipsi Pericli nec illa πειθώ nec illud ἐκήλει brevitate vel velocitate vel ultraque (differunt enim) sine facultate summa contigisset. nam delectare, persuadere copiam dicendi spatiumque desiderat; relinquere vero aculeum in audientium animis is demum potest, qui non pungit, sed infigit. [19] adde, quae de eodem Pericle comicus alter:

ἡστραπτεν, ἐβρόντα, συνεκύκα τὴν Ἑλλάδα.

non enim amputata oratio et abscisa, sed lata et magnifica et excelsa tonat, fulgurat, omnia denique perturbat ac miscet. [20] 'optimus tamen modus est': quis negat? sed non minus non servat modum, qui infra rem quam qui supra, qui adstrictius quam qui effusius dicit. [21] itaque audis frequenter ut illud 'immodice et redundant', ita hoc 'ieiune et infirme'. alias excessisse materiam, alias dicitur non implesse. aequa uterque, sed ille imbecillitate, hic viribus peccat; quod certe, etsi non limatioris, maioris tamen ingeni vitium est. [22] nec vero, cum haec dico, illum Homericum


ἀμετροεπὴ probo, sed hunc:  
καὶ ἔπεια νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίησιν  
non quia non et ille mihi valdissime placeat:  
παῦρα μὲν ἀλλὰ μάλα λιγέως

si tamen detur electio, illam orationem similem nivibus hibernis, id est crebram et assiduam et largam, postremo divinam et caelestem volo. [23] 'at est gratior multis actio brevis.' est, sed inertibus, quorum delicias desidiamque quasi iudicium respicere ridiculum est. nam si hos in consilio habeas, non solum satius breviter dicere, sed omnino non dicere.

[24] haec est adhuc sententia mea, quam mutabo, si dissenseris tu; sed plane, cur dissentias, explices rogo. quamvis enim cedere auctoritati tuae debeam, rectius tamen arbitror in tanta re ratione quam auctoritate superari. [25] proinde, si non errare videor, id ipsum quam voles brevi epistula, sed tamen scribe (confirmabis enim iudicium meum); si errare, longissimam para! num corrupi te, qui tibi, si mihi accederes, brevis epistulae necessitatem, si dissentires, longissimae imposui?

vale.

- Ein Plinius-Brief (8,1) in einer Handschrift aus dem 9. Jh. (Epist. Laurent. XLVII 36)



**Abb.:** CHATELAIN, E.: Paléographie des Classiques Latins. 2. Band. Paris 1894-1900.  
Tafel CXLIII.

### Der Philosophenbrief und Senecas *Epistulae Morales*

- Sen. *ep. mor.* 5, 47 (ed. REYNOLDS)

Seneca Lucilio suo salutem.

[1] Libenter ex iis qui a te veniunt cognovi familiariter te cum servis tuis vivere: hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet. 'servi sunt.' immo homines. 'servi sunt' immo contubernales. 'servi sunt.' immo humiles amici. 'servi sunt.' immo conservi, si cogitaveris tantundem in utrosque licere fortunae. [2] itaque rideo istos qui turpe existimant cum servo suo cenare: quare, nisi quia superbissima consuetudo cenanti domino stantium servorum turbam circumdedit? est ille plus quam capit, et ingenti aviditate onerat distentum ventrem ac desuetum iam ventris officio, ut maiore opera omnia egerat quam ingessit. [3] at infelibus servis movere labra ne in hoc quidem, ut loquantur, licet; virga murmur omne compescitur, et ne fortuita quidem verberibus excepta sunt, tussis, sternumenta, singultus; magno malo ulla voce interpellatum silentium luitur; nocte tota ieuni mutique perstant. [4] sic fit ut isti de domino loquantur quibus coram domino loqui non licet. at illi quibus non tantum coram dominis sed cum ipsis erat sermo, quorum os non consuebatur, parati erant pro domino porrigere cervicem, periculum imminens in caput suum avertere; in conviviis loquebantur, sed in tormentis tacebant. [5] deinde eiusdem arrogantiae proverbium iactatur, totidem hostes esse quot servos: non habemus illos hostes sed facimus. alia interim crudelia, inhumana praetereo, quod ne tamquam hominibus quidem sed tamquam iumentis abutimur. [quod] cum ad cenandum discubuimus, alius sputa deterget, alius reliquias temulentorum <toro> subditus colligit. [6] alius pretiosas aves scindit; per pectus et clunes certis ductibus circumferens eruditam manum frusta excutit, infelix, qui huic uni rei vivit, ut altilia decenter secet, nisi quod miserior est qui hoc voluptatis causa docet quam qui necessitatis discit. [7] alius vini minister in muliebrem modum ornatus cum aetate luctatur: non potest effugere pueritiam, retrahitur, iamque militari habitu glaber retritis pilis aut penitus evulsis tota nocte pervigilat, quam inter ebrietatem domini ac libidinem dividit et in cubiculo vir, in convivio puer est. [8] alius, cui convivarum censura permissa est, perstat infelix et exspectat quos adulatio et intemperantia aut gulae aut linguae revocet in crastinum. adice obsonatores quibus dominici palati notitia subtilis est, qui sciunt cuius illum rei sapor excitet, cuius delectet aspectus, cuius novitate nauseabundus erigi possit, quid iam ipsa satietate fastidiat, quid illo die esuriat. cum his cenare non sustinet et maiestatis suae deminutionem putat ad eandem mensam cum servo suo accedere. di melius! quot ex ipsis dominos habet! [9] stare ante limen Callisti dominum suum vidi et eum qui illi inpegerat titulum, qui inter reicula manicipia produxerat, aliis intrantibus excludi. rettulit illi gratiam servus ille in primam decuriam coniectus, in qua vocem praeco experitur: et ipse illum invicem apologavit, et ipse non iudicavit domo sua dignum. dominus Callistum vendidit: sed domino quam multa Callistus! [10] vis tu cogitare istum quem servum tuum vocas ex isdem seminibus ortum eodem frui caelo, aeque spirare, aeque vivere, aeque mori! tam tu illum videre ingenuum potes quam ille te servum. variana clade multos splendidissime natos, senatorium per militiam auspicantes gradum, fortuna depressit: alium ex illis pastorem, alium custodem casae fecit. contemne nunc eius fortunae hominem in quam transire dum contemnis potes. [11] nolo in ingentem me locum immittere et de usu servorum disputare, in quos superbissimi, crudelissimi, contumeliosissimi sumus. haec tamen praecepti mei summa est: sic cum inferiore vivas quemadmodum tecum superiorem velis vivere. quotiens in mentem venerit

quantum tibi in servum <tuum> liceat, veniat in mentem tantundem in te domino tuo licere. [12] 'at ego' inquis 'nullum habeo dominum.' bona aetas est: forsitan habebis. nescis qua aetate Hecuba servire cooperit, qua Croesus, qua Darei mater, qua Platon, qua Diogenes? [13] vive cum servo clementer, comiter quoque, et in sermonem illum admitte et in consilium et in convictum. hoc loco acclamabit mihi tota manus delicatorum 'nihil hac re humilius, nihil turpius'. hos ego eosdem deprehendam alienorum servorum osculantes manum. [14] ne illud quidem videtis, quam omnem invidiam maiores nostri dominis, omnem contumeliam servis detraxerint? dominum patrem familiae appellaverunt, servos, quod etiam in mimis adhuc durat, familiares; instituerunt diem festum, non quo solo cum servis domini vescerentur, sed quo utique; honores illis in domo gerere, ius dicere permiserunt et domum pusillam rem publicam esse iudicaverunt. [15] 'quid ergo? omnes servos admovebo mensae meae?' non magis quam omnes liberos. erras si existimas me quosdam quasi sordidioris operae reiecturum, ut puta illum mulionem et illum bubulcum. non ministeriis illos aestimabo sed moribus: sibi quisque dat mores, ministeria casus assignat. quidam centent tecum quia digni sunt, quidam ut sint; si quid enim in illis ex sordida conversatione servile est, honestorum convictus excutiet. [16] non est, mi Lucili, quod amicum tantum in foro et in curia quaeras: si diligenter attenderis, et domi invenies. saepe bona materia cessat sine artifice: tempta et experire. quemadmodum stultus est qui equum empturus non ipsum inspicit sed stratum eius ac frenos, sic stultissimus est qui hominem aut ex veste aut ex condicione, quae vestis modo nobis circumdata est, aestimat. [17] 'servus est.' sed fortasse liber animo. 'servus est.' hoc illi nocebit? ostende quis non sit: alius libidini servit, alius avaritiae, alius ambitioni, <omnes spei>, omnes timori. dabo consularem aniculae servientem, dabo ancillulae divitem, ostendam nobilissimos iuvenes mancipia pantomimorum: nulla servitus turpior est quam voluntaria. quare non est quod fastidiosi isti te deterrent quominus servis tuis hilarem te praestes et non superbe superiorem: colant potius te quam timeant. [18] dicet aliquis nunc me vocare ad pilleum servos et dominos de fastigio suo deicere, quod dixi, 'colant potius dominum quam timeant'. 'ita' inquit 'prorsus? colant tamquam clientes, tamquam salutatores?' hoc qui dixerit obliviscetur id dominis parum non esse quod deo sat est. qui colitur, et amatur: non potest amor cum timore misceri. [19] rectissime ergo facere te iudico quod timeri a servis tuis non vis, quod verborum castigatione uteris: verberibus muta admonentur. non quidquid nos offendit et laedit; sed ad rabiem cogunt pervenire deliciae, ut quidquid non ex voluntate respondit iram evocet. [20] regum nobis induimus animos; nam illi quoque oblii et suarum virium et imbecillitas alienae sic excandescunt, sic saeviunt, quasi iniuriam acceperint, a cuius rei periculo illos fortunae suaee magnitudo tutissimos praestat. nec hoc ignorant, sed occasionem nocendi captant querendo; acceperunt iniuriam ut facerent. [21] diutius te morari nolo; non est enim tibi exhortatione opus. hoc habent inter cetera boni mores: placent sibi, permanent. levius est malitia, saepe mutatur, non in melius sed in aliud.

vale.

- Plin. *epist.* 3, 14 (ed. SCHUSTER/HANSLIK)

C. Plinius Acilio suo s.

[1] Rem atrocem nec tantum epistula dignam Larcius Macedo, vir praetorius, a servis suis passus est, superbus alioqui dominus et saevus, et qui servisse patrem suum parum, immo nimium meminisset. [2] lavabatur in villa Formiana: repente eum servi circumstidunt; alius fauces invadit, alius os verberat, alius pectus et ventrem atque etiam, foedum dictu, verenda contundit; et, cum examinem putarent, abiciunt in fervens pavimentum, ut experirentur, an viveret. ille, sive quia non sentiebat, sive quia se non sentire simulabat, immobilis et extentus fidem peractae

mortis implevit. [3] tum demum quasi aestu solutus effertur: excipiunt servi fideliores, concubinae cum ululatu et clamore concurrunt. ita et vocibus excitatus et recreatus loci frigore sublatis oculis agitatoque corpore vivere se (et iam tutum erat) confitetur. [4] diffugunt servi; quorum magna pars comprehensa est, ceteri requiruntur; ipse paucis diebus aegre fociatus non sine ultionis solacio decessit, ita vivus vindicatus, ut occisi solent. [5] vides, quot periculis, quot contumeliis, quot ludibriis simus obnoxii; nec est, quod quisquam possit esse securus, quia sit remissus et mitis: non enim iudicio domini, sed scelere perimuntur. [6] verum haec hactenus. quid praeterea novi? quid? nihil; alioqui subiungerem: nam et charta adhuc superest, et dies feriatus patitur plura contexi. addam, quod opportune de eodem Macedone succurrit. cum in publico Romae lavaretur, notabilis atque etiam, ut exitus docuit, ominosa res accidit. [7] eques Romanus a servo eius, ut transitum daret, manu leviter admonitus convertit se, nec servum, a quo erat tactus, sed ipsum Macedonem tam graviter palma percussit, ut paene concideret. [8] ita balineum illi quasi per gradus quosdam primum contumeliae locus, deinde exitii fuit.

vale.

- Tac. *ann.* 14, 42ff. (ed. HEUBNER)

[42] Haud multo post praefectum urbis Pedanium Secundum servus ipsius interfecit, seu negata libertate, cui pretium pepigerat, sive amore exoleti incensus et dominum aemulum non tolerans. ceterum cum vetere ex more familiam omnem, quae sub eodem tecto mansitaverat, ad supplicium agi oporteret, concursu plebis, quae tot innoxios protegebat, usque ad seditionem ventum est senatusque [obsessus], in quo ipso erant studia nimiam severitatem aspernantium, pluribus nihil mutandum censemibus. ex quis C. Cassius sententiae loco in hunc modum disseruit: [43] `saepe numero, patres conscripti, in hoc ordine interfui, cum contra instituta et leges maiorum nova senatus decreta postularentur; neque sum adversatus, non quia dubitarem, super omnibus negotiis melius atque rectius olim provisum et quae converterentur [in] deterius mutari, sed ne nimio amore antiqui moris studium meum extollere viderer. simul quicquid hoc in nobis auctoritatis est, crebris contradictionibus destruendum non existimabam, ut maneret integrum, si quando res publica consiliis egisset. quod hodie venit, consulari viro domi suae imperfecto per insidias serviles, quas nemo prohibuit aut prodidit quamvis nondum concusso senatus consulto, quod supplicium toti familiae minitabatur. decernite hercule impunitatem: at quem dignitas sua defendet, cum praefecto urbis non profu[er]it? quem numerus servorum tuebitur, cum Pedanium Secundum quadringenti non protexerint? cui familia opem feret, quae ne in metu quidem pericula nostra advertit? an, ut quidam fingere non erubescunt, iniurias suas ultus est interactor, quia de paterna pecunia transegerat aut avitum mancipium detrahebatur? pronuntiemus ultro dominum iure caesum videri. [44] libet argumenta conquirere in eo, quod sapientioribus deliberatum est? sed et si nunc primum statuendum haberemus, creditisne servum interficiendi domini animum sumpsisse, ut non vox minax excideret, nihil per temeritatem proloqueretur? sane consilium occul[t]avit, telum inter ignaros paravit: num excubias transire, cubiculi fores recludere, lumen inferre, caudem patrare [poterat] omnibus nesciis? multa sceleri indicia praeveniunt: servi si prodant, possumus singuli inter plures, tuni inter anxios, postremo, si pereundum sit, non inulti inter nocentes agere. suspecta maioribus nostris fuerunt ingenia servorum, etiam cum in agris aut domibus i[s]dem nascerentur caritatemque dominorum statim acciperent. postquam vero nationes in familiis habemus, quibus diversi ritus, externa sacra aut nulla sunt, conluiem istam non nisi metu coercueris. at quidam insolentes peribunt. nam et ex fuso exercitu cum decimus quisque fusti feritur, etiam strenui sortiuntur. habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur.'

## 1. Der Dichter und sein Kaiser: Widmungsbriefe des Statius und Martial

- Empfehlungsschreiben eines Vitalis an den phönizischen Statthalter Achillius (Strassburg, Pap. Lat. 1 b), 4. Jh., vor 362.




Abb.: STEFFENS, F. : Lateinische Paläographie. Berlin/Leipzig 1929<sup>2</sup>. Tafel 16.

**Umschrift** (nach STEFFENS, Tafel 16):

Domino suo Achillio  
Uitalis.

Cum in omnibus bonis benignitas tua sit praedita, tum  
etiam scholasticos et maxime, qui a me cultore tuo hono-  
rificentiae tuae traduntur, quod honeste respicere velit,  
non dubito, domine praedicabilis. Quapropter Theofanen  
oriundum ex civitate Hermopolitanorum provinciae  
Thebaidos, qui ex suggestione domini mei fratris nostri  
Filippi usque ad officium domini mei Dyscoli vexationem  
itineris quodammodo sine ratione sustinere videtur, 5  
inimitabili religioni tuae trado, ut eundem praeter-  
euntem more honestatis tuae benigne et humane  
respicere digneris. Iuro enim salutem communem  
et infantum nostrorum, quod enim eodem minime  
petente benivolentiae eundem insinuendum putavi. Domine 10  
dulcissime et vere  
amantissime beatum te  
meique amantem semper  
gaudear. 15

(*A tergo* : Domino suo Achillio Uitalis)

- Stat. *silv.* 1 praef. (ed. COURTNEY)

Statius Stellae suo salutem.

Diu multumque dubitavi, Stella iuvenis optime et in studiis nostris eminentissime, qua parte evolvisti, an hos libellos, qui mihi subito calore et quadam festinandi voluptate fluxerunt, cum singuli de sinu meo pro... congregatos ipse dimitterem. quid enim ... quoque auctoritate editionis onerari, quo adhuc pro Thebaide mea, quamvis me reliquerit, timeo? sed et Culicem legimus et Batrachomachiam etiam agnoscimus, nec quisquam est inlustrium poetarum qui non aliquid operibus suis stilo remissiore praeluserit. quid quod haec serum erat continere, cum illa vos certe quorum honori data sunt haberetis? sed apud ceteros necesse est multum illis pereat ex venia, cum amiserint quam solam habuerunt gratiam celeritatis. nullum enim ex illis biduo longius tractum, quaedam et in singulis diebus effusa. quam timeo ne verum istuc versus quoque ipsi de se probent! primus libellus sacrosanctum habet testem: sumendum enim erat 'a Iove principium.' centum hos versus, quos in ecum maximum feci, indulgentissimo imperatori postero die quam dedicaverat opus, tradere est iussum. 'potuisti illud' dicet aliquis 'et ante vidisse.' respondebis illi tu, Stella carissime, qui epithalamium tuum, quod mihi iniunxeras, scis biduo scriptum (audacter mehercles, sed tantum tamen hexametros habet). at fortasse tu pro collega mentieris. Manilius certe Vopiscus, vir eruditissimus et qui praecipue vindicat a situ litteras iam paene fugientes, solet ultro quoque nomine meo gloriari villam Tiburtinam suam descriptam a nobis uno die. sequitur libellus Rutilio Gallico convalescenti dedicatus, de quo nihil dico, ne videar defuncti testis occasione mentiri. nam Claudi Etrusci testimonium †domonnum† est, qui balneolum a me suum intra moram cenae recepit. in fine sunt kalendae Decembres, quibus utique creditur: noctem enim illam felicissimam et voluptatibus publicis inexpertam ...

► Stat. *silv.* 4 praef. (ed. COURTNEY)

Statius Marcello suo salutem.

Inveni librum, Marcelle carissime, quem pietati tuae dedicarem. reor equidem aliter quam invocato numine maximi imperatoris nullum opusculum meum coepisse; sed hic liber tres habet ... se quam quod quarta ad honorem tuum pertinet. primo autem septimum decimum Germanici nostri consulatum adoravi; secundo gratias egi sacratissimis eius epulis honoratus; tertio viam Domitianam miratus sum qua gravissimam harenarum moram exemit: cuius beneficio tu quo~~<~~que maturius epistolam meam accipies, quam tibi in hoc libro a Neapoli scribo. proximum est lyricum carmen ad Septimum Severum, iuvenem, uti scis, inter ornatissimos secundi ordinis, tuum quidem et condiscipulum, sed mihi citra hoc quoque ius artissime carum. nam Vindicis nostri Herculem Epitrapezion secundum honorem quem de me et de ipsis studiis meretur imputare etiam tibi possum. Maximum Vibium et dignitatis et eloquentiae nomine a nobis diligi satis eram testatus epistola quam ad illum de editione Thebaidos meae publicavi; sed nunc quoque eum reverti maturius ex Dalmatia rogo. iuncta est ecloga ad municipem meum Iulium Menecraten, splendidum iuvenem et Polli mei generum, cui gratulor quod Neapolim nostram numero liberorum honestaverit. Plotio Grypo, maioris gradus iuveni, dignius opusculum reddam, sed interim hendecasyllabos quos Saturnalibus una risimus huic volumini inserui. quare ergo plura in quarto Silvarum quam in prioribus? ne se putent aliquid egisse qui reprehenderunt, ut audio, quod hoc stili genus edidisse. primum supervacuum est dissuadere rem factam; deinde multa ex illis iam domino Caesari dederam, et quanto hoc plus est quam edere! exerceri autem ioco non licet? 'secreto' inquit. sed et sphaeromachia spectantes et palaris lusio admittit. novissime, quisquis ex meis invitus aliquid legit, statim se profitetur adversum. ita quare consilio eius accedam? in summam, nempe ego sum qui traducor; taceat et gaudeat. hunc tamen librum tu, Marcelle, defendes. et, si videtur, hactenus, sin minus, reprehendemur.

vale.

► Mart. 2 praef. (ed. SHACKLETON BAILEY)

Valerius Martialis Deciano suo sal.

'Quid nobis' inquis 'cum epistula? parum enim tibi praestamus, si legimus epigrammata? quid hic porro dicturus es quod non possis versibus dicere? video quare tragedia aut comoedia epistulam accipient, quibus pro se loqui non licet: epigrammata curione non egent et contenta sunt sua, id est mala, lingua: in quacumque pagina visum est, epistulam faciunt. noli ergo, si tibi videtur, rem facere ridiculam et in toga saltantis inducere personam. denique videris an te delectet contra retiarium ferula. ego inter illos sedeo qui protinus reclamant.' puto me hercules, Deciane, verum dicis. quid si scias cum qua et quam longa epistola negotium fueris habiturus? itaque quod exigis fiat. debebunt tibi si qui in hunc librum inciderint quod ad primam paginam non lassi pervenient.

## 2. Der Lehrer und sein Kaiser: Frontos Briefwechsel mit Marc Aurel

- Fronto p. 1f. (ed. VAN DEN HOUT)

M. Caesar M. Frontoni magistro meo.

[1] Quid ego ista mea fortuna satis dixerim vel quomodo istam necessitatem meam durissimam condigne incusavero, quae me istic ita animo anxiō tantaque sollicitudine praepedito alligatum attinet neque me sinit ad meum Frontonem, ad meam pulcherrimam animam confestim percurrere, praesertim in huiusmodi eius valetudine proprius videre, manus tenere, ipsum denique illum pedem, quantum sine incommmodo fieri possit, adtrectare sensim, in balneo fovere, ingredienti manum subicere? et tu me amicum vocas, qui non abruptis omnibus cursu concitato pervolo? ego vero magis sum claudus quom ista mea verecundia, immo pigritia. o me, quid dicam? metuo quicquam dicere quod tu audire nolis; nam tu quidem me omni modo conisus es iocularibus istis tuis ac lepidissimis verbis a cura amovere atque te omnia ista aequo animo perpeti posse ostendere. at ego ubi animus meus sit, nescio; nisi hoc scio, illo nescio quo ad te profectum eum esse. cura, miserere, omni temperantia, abstinentia omnem istam tibi pro tua virtute tolerandam, mihi vero asperrimam nequissimamque valetudinem depellere et ad aquas proficisci. si et quando et, nunc ut commode agas, cito, oro, perscribe mihi et mentem meam in pectus meum repone. ego interim vel tales tuas litteras mecum gestabo. [2] Vale mihi Fronto iucundissime, quamquam ita me dispositius dicere oportet (nam tu quidem postulas talia): o qui ubique estis, di boni. valeat, oro, meus Fronto iucundissimus atque carissimus mihi, valeat semper integro, inlibato, incolumi corpore, valeat et mecum esse possit.

homo suavissime, vale.

- Fronto p. 133-135 (ed. VAN DEN HOUT)

<Antonino Augusto Fronto>

[1] hoc † <in>genio discrepanti. iuberesne me niti contra naturam adverso, quod aiunt, flumine? quid, si quis postularet, ut Phidias ludicra <a>ut Canachus deum <sim>ulacra fi<ng>eret, aut Calamis ut Tyrrhena aut Polycletus Etrusca? quid, si Parrhasium versicolora pingere iuberet aut Apellen unicolora aut Nealcen magnifica aut Protogenen minuta aut Nician obscura aut Dionysium inlustria aut lascivia Euphranorem aut Pausiam . . . a? [2] in poetis <aut>em quis ignorat, ut gracilis sit Lucilius, Albucius aridus, sublimis Lucretius, mediocris Pacuvius, inaequalis Accius, Ennius multiformis? historiam quoque scripsere Sallustius structe, Pictor incondite, Claudius lepide, Antias invenuste, Seisenna longinque, verbis Cato multiugis, Coelius singulis. contionatur autem Cato infeste, Gracchus turbulente, Tullius gloriose; iam in iudiciis saevit idem Cato, triumphat Cicero, tumultuatur Gracchus, Calvus rixatur. [3] sed haec exempla fortas>se contemnas. quid? philosophi ipsi nonne diverso genere orationis usi sunt? Zeno ad docendum planissimus, Socrates ad coargendum captiosissimus, Diogenes ad exprobrandum promptissimus, Heraclitus obscurus: involvere omnia, Pythagora mirificus: clandestinis signis sancire omnia, Clitomachus anceps: in dubium vocare omnia. quidnam igitur agerent isti ipsi sapientissimi viri, si de suo quisque more atque instituto deducerentur? Socrates ne coargueret, Zeno ne disceptaret, Diogenes ne increparet, ne quid Pythagora sanciret, ne quid Heraclitus absconderet, ne quid Clitomachus ambigeret? [4] sed ne in prima ista parte diutius quam epistulae modus postulat commoremur, tempus est de verbis primum quid censeas considerare. dic sodes hoc mihi: utrumne, tametsi sine ullo labore ac studio meo



### **Symmachus und Ausonius: zwei gebildete Aristokraten im Austausch.**

► Symm. *epist.* 1,31 (ed. CALLU)

1. Merum mihi gaudium eruditionis tuae scripta tribuerunt, quae Capuae locatus accepi. Erat quippe in his oblita Tulliano melle festiuitas et sermonis mei non tam uera quam blanda laudatio. Quid igitur magis mirer, sententiae incertus addubito, ornamenta oris an pectoris tui. Quippe ita facundia antistas ceteris, ut sit formido rescribere, ita benigne nostra comprobas, ut libeat non tacere. Si plura de te praedicem, uidebor mutuum scabere et magis imitator tui esse adloquii quam probator. Simul quod ipse nihil ostentandi gratia facis, uerendum est genuina in te bona tanquam affectata laudare. Unum hoc tamen a nobis indubitata ueritate cognosce: neminem esse mortalium quem piae te diligam; sic uadatum me honorabili amore tenuisti. Sed in eo mihi uerecundus nimio plus uidere, quod libelli tui arguis proditorem.

2. Nam facilius est ardentes fauillas ore comprimere quam luculentri operis seruare secretum. Cum semel a te profectum carmen est, ius omne posuisti. Oratio publicata res libera est. An uereris aemuli uenena lectoris, ne libellus tuus admorsu duri dentis uratur? Tibi uni adhoc locorum nihil gratia praestitit aut dempsit inuidia. Ingratis scaeuo cuique proboque laudabilis es. Proinde cassas dehinc seclude formidines et indulge stilo, ut saepe prodaris. Certe aliquod didascalicum seu protrepticum nostro quoque nomini carmen adiudica.

3. Fac periculum silentii mei, quod, etsi tibi exhibere opto, tamen spondere non audeo. Noui ego quae sit prurigo emuttendi operis quod probaris; nam quodam pacto societatem laudis affectat, qui aliena bene dicta primus enuntiat. Ea propter in comoediis summam quidem gloriam scriptores tulerunt: Roscio tamen atque Ambiuio ceterisque actoribus fama non defuit. Ergo tali negotio expende otium tuum et nouis uoluminibus ieunia nostra sustenta. Quod si iactantiae fugax garrulum indicem pertimescis, praesta etiam tu silentium mihi, ut tuto simule esse nostra, quae scripseris. Vale.

► Auson. *epist.* 12 (ed. GREEN)

Modo intelligo quam mellea res sit oratio, quam delenifica et quam suada facundia. persuasisti mihi quod epistulae meae apud Capuam tibi redditae concinnatio inhumana non esset, sed hoc non diutius quam dum epistulam tuam legi, quae me blanditiis inhiantem tuis velut suco nectaris delibuta perducit. ubi vero chartulam pono et me ipsum interrogo, tum apsinthium meum resipit et circumlita melle tuo pocula deprehendo. si vero, id quod saepe facio, ad epistulam tuam redii, rursus illicior; et rursum ille suavissimus, ille floridus tui sermonis afflatus deposita lectione vanescit et testimonii pondus prohibet inesse dulcedini. hoc me velut aerius bratteae fucus aut picta nebula non longius quam dum videtur oblectat, chamaeleontis bestiolae vice, quae de subiectis sumit colorem. aliud sentio ex epistola tua, aliud ex conscientia mea. et tu me audes facundissimorum hominum laude dignari? tu, inquam, mihi ista, qui te ultra emendationem omnium protulisti? aut quisquam ita nitet ut comparatus tibi non sordeat? quis ita ad Aesopi venustatem, quis sophisticas Isocratis conclusiones, quis ita ad enthymemata Demosthenis aut opulentiam Tullianam aut proprietatem nostri Maronis accedat? quis ita affectet singula ut tu imples omnia? quid enim aliud es quam ex omni bonarum artium ingenio collecta perfectio? haec, domine mi fili Symmache, non

vereor ne in te blandius dicta videantur esse quam verius. et expertus es fidem meam mentis atque dictorum, dum in comitatu degimus ambo aevo dispari, ubi tu veteris militiae praemia tiro meruisti, ego tirocinium iam veteranus exercui. in comitatu tibi verus fui, nedum me peregre existimes composita fabulari; in comitatu, inquam, qui frontes hominum aperit, mentes tegit, me tibi et parentem et amicum et, si quid utroque carius est, cariorem fuisse sensisti.

sed abeamus ab his, ne istaec commemoratio ad illam Sosiae formidinem videatur accedere. illud, quod paene praeterii, qua affectatione addidisti, ut ad te didascalicum aliquod opuscolum aut sermonem protrepticum mitterem? ego te docebo, docendus adhuc si essem id aetatis ut discerem? aut ego te vegetum atque alacrem commonebo? eadem opera et Musas hortabor ut canant, et maria ut effluant et auras ut vigeant et ignes ut caleant admonebo et, si quid invitatis quoque nobis natura fit, superfluuus instigator agitabo. sat est unius erroris, quod aliquid meorum me paenitente vulgatum est, quod bona fortuna in manus amicorum incidit. nam si contra id evenisset, nec tu mihi persuaderes placere me posse.

haec ad litteras tuas responsa sint. cetera quae noscere aves compendi faciam; sic quoque iam longa est epistula. Iulianum tamen familiarem domus vestrae, si quid de nobis percontandum arbitraris, allego: simul admoneo, ut, cum causam adventus eius agnoveris, iuves studium quod ex parte fovisti. vale.

► Symm. *epist. 1,31* (ed. CALLU)

Etsi plerumque uera est apud parentes praedicatio filiorum, nescio quo tamen pacto detrimentum meriti sui patiatur, dum personarum spectare gratiam iudicatur. Quaero igitur incertus animi, quae mihi nunc potissimum super uiro honorabili Thalassio genero tuo uerba sumenda sint. Si parce decorum morum eius adtingam, liuenti similis aestimabor, si iuste persequar, ero proximus blandienti. Imitabor igitur Sallustiani testimonii castigationem: habes uirum dignum te et per te familia consulari, quem fortuna honoris parti maiorem beneficiis suis repperit, emendatio animi et sanctitas potioribus iam paravit. Vale.

## Zwischen Philosophenbrief und Pastoralschreiben

- Hier. *epist.* 2 (ed. HILBERG, CSEL)

Ad Theodosium et ceteros Anachoretas intrinsecus commorantes.

[1] Quam, quam vellem nun vestro interesse conventi et admirandum consortium, licet isti oculi non mereantur aspicere, tota cum exultatione complecti! spectarem desertum, omni amoeniorem civitatem, viderem desolata ab accolis loca quasi ad quoddam paradisi instar sanctorum coetibus obsideri. [2] verum quia hoc mea fecere delicta, ne consortio beatorum insereretur obsessum omni crimine caput, idcirco obsecro, quia vos impetrare posse non ambigo, ut me ex istius saeculi tenebris vestro liberetis oratu. et ante dixeram praesens et nunc per litteras votum indicare non cesso, quod mens mea omni ad id studium cupiditate rapiatur; nunc vestrum est, ut voluntatem sequatur effectus. meum est, ut et velim et possim. [3] ego ita sum quasi a cuncto grege morbida aberrans ovis. quod nisi me bonus pastor ad sua stabula umeris inpositum reportarit, lababunt gressus et in ipso conamine vestigia concident adsurgentis. ego sum ille prodigus filius, qui omni, quam mihi pater credidierat, portione profusa necdum me ad genitoris genua submisi necdum coepi prioris a me luxuriae blandimenta depellere. [4] et quia paululum non tam desivi a vitiis, quam coepi velle desinere, nunc me novis diabolus retibus ligat, nunc nova impedimenta proponens maria undique circumdat et undique pontum, nunc in medio constitutus elemento nec regredi volo nec progredi possum. superest, ut oratu vestro sancti spiritus aura me provehat et ad portum optati litoris prosequatur.

- Hier. *epist.* 22, 30 (ed. HILBERG, CSEL)

[1] Cum ante annos plurimos domo, parentibus, sorore, cognatis et, quod his difficilius est, consuetudine lautioris cibi propter caelorum me regna castrasse et Hierosolymam militatus pergerem, bybliotheca, quam mihi Romae summo studio ac labore confeceram, carere non poteram. itaque miser ego lecturus Tullium ieunabam. [2] post noctium crebras vigilias, post lacrimas, quas mihi praeteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manibus. si quando in memet reversus prophetam legere coepissem, sermo horrebat incultus et, quia lumen caecis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam esse, sed solis. [3] dum ita me antiquus serpens inluderet, in media ferme quadragesima medullis infusa febris corpus invasit exhaustum et sine ulla requie - quod dictu quoque incredibile sit - sic infelicia membra depasta est, ut ossibus vix haererem. interim parabantur exsequiae et vitalis animae calor toto frigente iam corpore in solo tantum tepente pectusculo palpitabat, cum subito raptus in spiritu ad tribunal iudicis pertrahor, ubi tantum luminis et tantum erat ex circumstantium claritate fulgoris, ut projectus in terram sursum aspicere non auderem. [4] interrogatus condicionem Christianum me esse respondi. et ille, qui residebat: 'mentiris', ait, 'Ciceronianus es, non Christianus; ubi thesaurus tuus, ibi et cor tuum'. illico obmutui et inter verbera - nam caedi me iusserat - conscientiae magis igne torquebar illum mecum versiculum reputans: in inferno autem quis confitebitur tibi? clamare tamen coepi et heiulans dicere: miserere mei, domine, miserere mei. [5] haec vox inter flagella resonabat. tandem ad praesidentis genua provoluti, qui adstiterant, precabantur, ut veniam tribuerat adulesentiae, ut errori locum paenitentiae commodaret exacturus deinde cruciatum, si gentilium

litterarum libros aliquando legisse. ego, qui tanto constrictus articulo vellem etiam maiora promittere, deiurare coepi et nomen eius obtestans dicere : `domine, si umquam habuero codices saeculares, si legero, te negavi'. in haec sacramenti verba dimissus revertor ad superos et mirantibus cunctis oculos aperio tanto lacrimarum imbre perfusos, ut etiam incredulis fidem facerent ex dolore. [6] nec vero sopor ille fuerat aut vana somnia, quibus saepe deludimur. teste est tribunal, ante quod iacui, iudicium teste est, quod timui - ita mihi numquam contingat talem incidere quaestionem! -, liventis habuisse me scapulas, plagas sensisse post somnum et tanto dehinc studio divina legisse, quanto mortalia ante non legeram.

### Briefe als Ausdruck römischer Identität in der Völkerwanderungszeit

- Sidon. *ep.* 1, 1 (ed. LUETJOHANN)

Sidonius Constantino suo salutem.

[1] Diu praecipis, domine maior, summa suadendi auctoritate, sicuti es in his quae deliberabuntur consiliosissimus, ut, si quae litterae paulo politiores varia occasione fluxerunt, prout eas causa persona tempus elicuit, omnes retractatis exemplaribus enucleatisque uno volumine includam, Quinti Symmachi rotunditatem, Gai Plinii disciplinam maturitatemque vestigiis praesumtuosis insecuturus. [2] nam de Marco Tullio silere melius puto, quem in stilo epistulari nec Iulius Titianus sub nominibus inlustrium feminarum digna similitudine expressit. propter quod illum ceteri quique Frontonianorum utpote consectaneum aemulati, cur veternosum dicendi genus imitaretur, oratorum simiam nuncupaverunt. quibus omnibus ego immane dictu est quantum semper iudicio meo cesserim quantumque servandam singulis pronuntiaverim temporum suorum meritorumque praerogativam. [3] sed scilicet tibi parui tuaeque examinationi has <litterulas> non recensendas (hoc enim parum est) sed defaecandas, ut aiunt, limandasque commisi, sciens te inmodicum esse fautorem non studiorum modo verum etiam studiosorum. quam ob rem nos nunc perquam haesitabundos in hoc deinceps famae pelagus impellis. [4] porro autem super huiusmodi opusculo tutius conticueramus, contenti versuum felicius quam periti editorum opinione, de qua mihi iam pridem in portu iudicii publici post lividorum latratuum Scyllas enavigatas sufficientis gloriae ancora sedet. sed si et hisce deliramentis genuinum molarem invidia non fixerit, actutum tibi a nobis volumina numerosiora percopiosis scaturrentia sermocinationibus multiplicabantur.

vale.

- Sidon. *ep.* 1, 5 (ed. LUETJOHANN)

Sidonius Heronio suo salutem.

[1] Litteras tuas Romae positus accepi, quibus an secundum commune consilium sese peregrinationis meae copta promoveant, sollicitus inquiris, viam etiam qualem qualiterque confecerim, quos aut fluvios viderim poetarum carminibus inlustres aut urbes moenium situ inclitas aut montes numinum opinione vulgatos aut campos proeliorum replicatione monstrabiles, quia voluptuosum censeas quae lectione compereris eorum, qui inspexerint, fideliore didicisse memoratu. quocirca gaudeo te wuid agam cupere cognoscere; namque huiusmodi studium de affectu interiore proficiscitur. ilicit, etsi secus quaepiam, sub ope tamen dei ordiar a secundis, quibus primordiis maiores nostri etiam sinisteritatum suarum relationes evolvere auspicabantur. [2] egresso mihi Rhodanusiae nostrae moenibus publicus cursus usui fuit utpote sacris apicibus accito, et quidem per domicilia sodalium propinquorumque; ubi sane vianti moram non veredorum paucitas sed amicorum multitudo faciebat, quae mihi arto implicita complexu itum redditumque felicem certantibus votis conprecabatur. sic Alpium iugis appropinquatum, quarum mihi citus et facilis ascensus et inter utrimque terrentis latera praerupti cavatis in callem nivibus itinera mollita. [3] fluviorumque quoque, si qui non navigabiles, vada commoda vel certe pervii pontes, quos antiquitas a fundamentis ad usque aggerem calcabili silice crustatum crypticis arcibus fornicavit. Ticini cirsoriam (sic navigio nomen) escendi, qua in Eridanum brevi delatus cantatas saepe comissa alter nobis Phaeontiadas et commenticias arborei metalli lacrimas risi. [4] ulvosum Lambrum

caerulum Adduam, velocem Athesim pigrum Mincium, qui Ligusticis Euganeisque montibus oriebantur, paulum per ostia adversa subvectus in suis etiam gurgitibus inspexi; quorum ripae torique passim quernis acernisque nemoribus vestiebantur. hic avium resonans dulce concentus, quibus nunc in concavis harundinibus, nunc quoque in iuncis pungentibus, nunc et in scirpis enodibus nidorum strues imposita nutabat; quae cuncta virgulta tumultuatim super amnicos margines soli bibuli suco fota fruticaverant. [5] atque obiter Cremonam praevectus adveni, cuius est olim Tityro Mantuano largum suspirata proximitas. Brixillum dein oppidum, dum succedenti Aemiliano nautae decedit Venetus remex, tantum, ut exiremus, intravimus, Ravennam paulo post cursu dexteriore subeuntes; quo loci veterem civitatem novumque portum media via Caesaris ambigas utrum conectat an separat. insuper oppidum duplex pars interludit Padi, † certa pars alluit; qui ab alveo principali molium publicarum disceptus obiectu et per easdem derivatis tramitis exhaustus sic dividua fluenta partitur, ut praebant moenibus circumfusa praesidium, infusa commercium. [6] hic [cum] peropportuna cuncta mercatui; tum praecipue quod esui competeret deferebatur; nisi quod, cum sese hinc salsum portis pelagus impingeret, hinc cloacali pulle fossarum discursu lyntrium ventilata ipse lentati languidus lapsus umoris nauticis cuspidibus foraminato fundi glutino sordidaretur, in medio undarum sitiebamus, quia nusquam vel aquaeductuum liquor integer vel cisterna defaecabilis vel fons inriguus vel puteus inlimis. [7] unde progressis ad Rubiconem ventum, qui originem nomini de glarearum colore puniceo mutuabatur quique olim Gallis cisalpinis Italisque veteribus terminus erat, cum populis utrisque Hadratici maris oppida divisui fuere. hinc Ariminum Fanumque perveni, illud Iuliana rebellione memorabile, hoc Hasdrubaliano funere infectum: siquidem illic Metaurus, cuius ita in longum felicitas uno die parta porrigitur, ac si etiam nunc Dalmatico salo cadavera sanguinulenta decoloratis gurgitibus inferret. [8] hinc cetera Flaminiae oppida statim, ut ingrediebar, egressus laevo Picentes, dextro Umbros latere transmisi; ubi mihi seu Calaber Atabulus seu pestilens regio Tuscorum spiritu aeris venenatis flatibus inebriato et modo calores alternante, modo frigora vaporatum corpus infecit. interea febris sitisque penitissimum cordis medullarumque secretum depopulabantur; quarum aviditati non solum amoena fontium aut abstrusa puteorum, quamquam haec quoque, sed tota illa vel vicina vel obvia fluenta id est vitrea Velini gelida Clitumni, Anienis caerulea Naris sulpurea, pura Fabaris turbida Tiberis, metu tamen desiderium fallente, pollicebamur. [9] inter haec patuit et Roma conspectui; cuius mihi non solum formas verum etiam naumachias videbar epotaturus. ubi priusquam vel pomeria contingerem, triumphalibus apostolorum liminibus affusus omnem protinus sensi membris male fortibus explosum esse languorem; post quae caelestis experimenta patrocinii conducti devorsorii parte susceptus atque etiam nunc istaec inter iacendum scriptitans quieti pauxilulum operam impendo. [10] neque adhuc principis aulicorumque tumultuosis foribus obversor. interveni etenim nuptiis patricii Ricimeris, cui filia perennis Augusti in spem publicae securitatis copulabatur. igitur nunc in ista non modo personarum sed etiam ordinum partiumque laetitia Transalpino tuo latere conducibilius visum, quippe cum hoc ipso tempore, quo haec mihi exarabantur, vix per omnia theatra macella, praetoria fora, templa gymnasia Thalassio Fescenninus explicaretur, atque etiam nunc e contrario studia sileant negotia quiescant, iudicia conticescant differantur legationes, vacet ambitus et inter scurrilitates histrionicas totus actionum seriarum status peregrinetur. [11] iam quidem virgo tradita est, iam coronam sponsus, iam palmatam consularis, iam cycladem pronuba, iam togam [senator] honoratus, iam paenulam deponit inglorius, et nondum tamen cuncta thalamorum pompa defremuit, quia neandum ad mariti domum nova nupta migravit. qua festivitate decursa cetera tibi laborum meorum molimina reserabuntur, si tamen vel sonsummata sollemnitas aliquando terminaverit istam totius civitatis occupatissimam vacationem. vale.

► Hor. *serm.* 1, 6 (ed. WICKHAM/GARROD)

Non quia, Maecenas, Lydorum quidquid Etruscos  
incoluit finis nemo generosior est te,  
nec quod avus tibi maternus fuit atque paternus  
olim qui magnis legionibus imperitarent,  
ut plerique solent, naso suspendis adunco  
ignotos, ut me libertino patre natum. 5  
cum referre negas quali sit quisque parente  
natus, dum ingenuus, persuades hoc tibi vere,  
ante potestatem Tulli atque ignobile regnum  
multos saepe viros nullis maioribus ortos  
et vixisse probos, amplis et honoribus auctos; 10  
contra Laevinum, Valeri genus, unde Superbus  
Tarquinius regno pulsus fugit, unius assis  
non umquam pretio pluris licuisse, notante  
iudice quo nosti populo, qui stultus honores  
saepe dat indignis et famae servit ineptus,  
qui stupet in titulis et imaginibus. quid oportet  
nos facere a vulgo longe longeque remotos?  
namque esto populus Laevino mallet honorem 15  
quam Decio mandare novo, censorque moveret  
Appius, ingenuo si non essem patre natus:  
vel merito, quoniam in propria non pelle quiessem.  
sed fulgente trahit constrictos Gloria curru  
non minus ignotos generosis. quo tibi, Tilli,  
sumere depositum clavom fierique tribuno? 20  
invidia adcrevit, privato quae minor esset.  
nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus  
pellibus et latum demisit pectore clavom,  
audit continuo 'quis homo hic est? quo patre natus?'  
ut siqui aegrotet quo morbo Barrus, haberet 25  
et cupiat formosus, eat quacumque, puellis  
iniciat curam quaerendi singula, quali  
sit facie, sura, quali pede, dente, capillo:  
sic qui promittit civis, urbem sibi curae,  
imperium fore et Italiam, delubra deorum,  
quo patre sit natus, num ignota matre dishonestus, 30  
omnis mortalis curare et quaerere cogit.  
'tune Syri, Damae, aut Dionysi filius, audes  
deicere de saxo civis aut tradere Cadmo?'  
'at Novius collega gradu post me sedet uno;  
namque est ille, pater quod erat meus.' hoc tibi Paulus 35  
et Messalla videris? at hic, si plausta ducenta  
concurrentque foro tria funera, magna sonabit  
cornua quod vincatque tubas ; saltem tenet hoc nos.'  
nunc ad me redeo libertino patre natum,  
quem rodunt omnes libertino patre natum,  
nunc quia sim tibi, Maecenas, convictor; at olim 40  
quod mihi pareret legio Romana tribuno.  
dissimile hoc illi est, quia non, ut forsitan honorem  
iure mihi invideat quivis, ita te quoque amicum,  
praesertim cautum dignos adsumere, prava 45  
ambitione procul. felicem dicere non hoc  
me possim, casu quod te sortitus amicum;  
nulla etenim mihi te fors obtulit: optimus olim  
50

Vergilius, post hunc Varius, dixere quid essem. 55  
ut veni coram, singultim pauca locutus,  
infans namque pudor prohibebat plura profari,  
non ego me claro natum patre, non ego circum  
me Satureiano vectari rura caballo,  
sed quod eram narro. respondes, ut tuus est mos, 60  
pauca: abeo; et revocas nono post mense iubesque  
esse in amicorum numero. magnum hoc ego duco,  
quod placui tibi, qui turpi secernis honestum  
non patre paeclaro, sed vita et pectore puro.  
atqui si vitiis mediocribus ac mea paucis 65  
mendosa est natura alioqui recta, velut si  
egregio inspersos reprendas corpore naevos;  
si neque avaritiam neque sordis nec mala lustra  
obiciet vere quisquam mihi purus et insons  
(ut me collaudem) si et vivo carus amicis; 70  
causa fuit pater his, qui macro pauper agello  
noluit in Flavi ludum me mittere, magni  
quo pueri magnis e centurionibus orti,  
laevo suspensi loculos tabulamque lacerto,  
ibant octonus referentes idibus aeris: 75  
sed puerum est ausus Romam portare, docendum  
artis quas doceat quivis eques atque senator  
semet prognatos. vestem servosque sequentis,  
in magno ut populo, si qui vidisset, avita  
ex re paeberi sumptus mihi crederet illos. 80  
ipse mihi custos incorruptissimus omnes  
circum doctores aderat. quid multa? pudicum,  
qui primus virtutis honos, servavit ab omni  
non solum facto, verum opprobrio quoque turpi;  
nec timuit sibi ne vitio quis verteret olim 85  
si praeco parvas aut, ut fuit ipse, coactor  
mercedes sequerer; neque ego essem questus: at hoc nunc  
laus illi debetur et a me gratia maior.  
nil me paeniteat sanum patris huius, eoque 90  
non, ut magna dolo factum negat esse suo pars,  
quod non ingenuos habeat clarosque parentis,  
sic me defendam. longe mea discrepat istis  
et vox et ratio: nam si natura iuberet  
a certis annis aevum remeare peractum  
atque aliquos legere ad fastum quoscumque parentes, 95  
optaret sibi quisque, meis contentus honestos  
fascibus et sellis nolle mihi sumere, demens  
iudicio vulgi, sanus fortasse tuo, quod  
nolle onus haud umquam solitus portare molestum.  
nam mihi continuo maior quaerenda foret res, 100  
atque salutandi plures, ducendus et unus  
et comes alter uti ne solus rusve peregreve  
exirem: plures calones atque caballi  
pascendi, ducenda petorrita. nunc mihi curto  
ire licet mulo vel si libet usque Tarentum, 105  
mantica cui lumbos onere ulceret atque eques armos.  
obiciet nemo sordis mihi quas tibi, Tilli,  
cum Tiburte via praetorem quinque sequuntur  
te pueri lasanum portantes oenophorumque.  
hoc ego commodius quam tu, paeclare senator, 110

milibus atque aliis vivo. quacumque libido est,  
 incedo solus; percontor quanti holus ac far;  
 fallacem circum vespertinumque pererro  
 saepe forum; adsisto divinis; inde domum me  
 ad porri et ciceris refero laganique catinum;  
 cena ministratur pueris tribus, et lapis albus  
 pocula cum cyatho duo sustinet; adstat echinus  
 vilis, cum patera guttus, Campana supplex.  
 deinde eo dormitum, non sollicitus mihi quod cras  
 surgendum sit mane, obeundus Marsya, qui se  
 vultum ferre negat Noviorum posse minoris.  
 ad quartam iaceo; post hanc vagor, aut ego lecto  
 aut scripto quod me tacitum iuvet unguor olivo,  
 non quo fraudatis inmundus Natta lucernis.  
 ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum  
 admonuit, fugio campum lusumque trigonem.  
 pransus non avide quantum interpellet inani  
 ventre diem durare, domesticus otior. haec est  
 vita solutorum misera ambitione gravique;  
 his me consolor victurum suavius ac si  
 quaestor avus pater atque meus patruusque fuissent. 115  
120  
125  
130

### Briefe ins Jenseits: Petrarcas Schreiben an Cicero

- Franc. Petr. *fam.* 24, 3 (ed. BOSCO)

Franciscus Ciceroni suo salutem.

Epystolas tuas diu multumque perquisitas atque, ubi minime rebar, inventas avidissime perlegi. audivi multa te dicentem, multa deplorantem, multa variantem, Marce Tulli, et qui iam pridem qualis preceptor aliis fuisses noveram, nunc tandem quis tu tibi fuisses agnovi. unum hoc vicissim a vera caritate profectum non iam consilium sed lamentum audi, ubicumque es, quod unus posterorum, tui nominis amantissimus, non sine lacrimis fundit. o inquiete semper atque anxie, vel ut verba tua agnoscas, 'o preceps et calamitose senex', quid tibi tot contentionibus et prorsum nihil profuturis simultatibus voluisti? ubi et etati et professioni et fortune tue conveniens otium reliquisti? quis te falsus glorie splendor senem adolescentium bellis implicuit et per omnes iactatum casus ad indignam philosopho mortem rapuit? heu et fraterni consilii immemor et tuorum tot salubrium preceptorum, ceu nocturnus viator lumen in tenebris gestant, ostendisti securis callem, in quo ipse satis miserabiliter lapsus es. omitto Dionisium, omitto fratrem tuum ac nepotem, omitto, si placet ipsum etiam Dolabellam, quos nunc laudibus ad celum effers, nunc repentinis maledictis laceras. fuerint hec tolerabilia fortassis. Iulum quoque Cesarem pretervehor, cuius spectata clementia ipsa lacescentibus portus erat. Magnum preterea Pompeium sileo, cum quo iure quodam familiaritatis quidlibet posse videbare. sed quis te furor in Antonium impegit? amor credo rei publice, quam funditus iam corruisse fatebaris. quodsi pura fides, si libertas te trahebat, quid tibi tam familiare cum Augusto? quid enim Bruto tuo responsurus es? 'siquidem', inquit, 'Octavianus tibi placet, non dominum fugisse, sed amiciorem dominum quesisse videberis'. hoc restabat, infelix, et hoc erat extreum, Cicero, ut huic ipsi tam laudato malediceres, qui tibi non dicam malefaceret, sed malefacentibus non obstaret. doleo vicem tuam, amice, et errorem pudet ac miseret iamque cum eodem Bruto 'his artibus nichil tribuo, quibus te instructissimum fuisse scio'. nimirum quid enim iuvat alios docere, quid ornatissimus verbis semper de virtutibus loqui prodest, si te interim ipse non audias? ah quanto satius fuerat philosopho presertim in tranquillo rure senuisse, 'de perpetua illa', ut ipse quodam scribis loco, 'non de hac iam exigua vita cogitantem', nullos habuisse fasces, nullis triumphis inhiasse, nullos inflasse tibi animum Catilinas. sed hec quidem frustra.

eternum vale, mi Cicero.

apud superos, ad dextram Athesis ripam, in civitate Verona Transpadane Italie,  
 XVI Kalendas Quintiles, anno ab ortu Dei illius, quem tu noveras, MCCCXLV.

### Briefe an uns? Plinius und der Vesuvausbruch

- Plin. *ep.* 6, 16 (ed. SCHUSTER/HANSLIK)

Plinius Tacito suo s.

[1] Petis, ut tibi avunculi mei exitum scribam, quo verius tradere posteris possis. gratias ago; nam video morti eius, si celebretur a te, immortalem gloriam esse propositam. [2] quamvis enim pulcherrimarum clade terrarum, ut populi, ut urbes, memorabili casu quasi semper victurus occiderit, quamvis ipse plurima opera et mansura condiderit, multum tamen perpetuitati eius scriptorum tuorum aeternitas addet. [3] equidem beatos puto, quibus deorum munere datum est aut facere scribenda aut scribere legenda, beatissimos vero, quibus utrumque. horum in numero avunculus meus et suis libris et tuis erit. quo libentius suscipio, deposco etiam quod iniungis. [4] erat Miseni classemque imperio praesens regebat. nonum Kal. Septembres hora fere septima mater mea indicat ei apparere nubem inusitata et magnitudine et specie. [5] usus ille sole, mox frigida, gustaverat iacens studebatque; poscit soleas, ascendit locum, ex quo maxime miraculum illud conspici poterat. nubes, incertum procul intuentibus, ex quo monte (Vesuvium fuisse postea cognitum est), oriebatur, cuius similitudinem et formam non alia magis arbor quam pinus expresserit. [6] nam longissimo velut truncu elata in altum quibusdam ramis diffundebatur, credo, quia recenti spiritu evecta, dein senescente eo destituta aut etiam pondere suo victa in latitudinem vanescebat, candida interdum, interdum sordida et maculosa, prout terram cineremve sustulerat. [7] magnum propiusque noscendum, ut eruditissimo viro, visum. iubet liburnicam aptari: mihi, si venire una vellem, facit copiam; respondi studere me malle, et forte ipse, quod scriberem, dederat. [8] egrediebatur domo: accipit codicilos Rectinae Casci imminentि periculo exterritae (nam villa eius subiacebat, nec ulla nisi navibus fuga); ut se tanto discrimini eriperet, orabat. [9] vertit ille consilium et, quod studioso animo incohaverat, obit maximo. deducit quadriremes, ascendit ipse non Rectinae modo sed multis (erat enim frequens amoenitas orae) latus auxilium. [10] properat illuc, unde alii fugiunt, rectumque cursum, recta gubernacula in periculum tenet adeo solitus metu, ut omnes illius mali motus, omnis figuræ, ut deprenderat oculis, dictaret enotaretque. [11] iam navibus cinis incidebat, quo propius accederent, calidior et densior, iam pumices etiam nigrique et ambusti et fracti igne lapides, iam vadum subitum ruinaque montis litora obstantia. cunctatus paulum an retro flecteret, mox gubernatori, ut ita faceret, monenti 'fortes', inquit, 'fortuna iuvat; Pomponianum pete!' [12] Stabiis erat, diremptus sinu medio (nam sensim circumactis curvatisque litoribus mare infunditur); ibi, quamquam nondum periculo appropinquante, conspicuo tamen et, cum cresceret, proximo, sarcinas contulerat in naves certus fugae, si contrarius ventus resedisset. quo tunc avunculus meus secundissimo invectus, complectitur trepidantem, consolatur, hortatur, utque timorem eius sua securitate leniret, deferri in balineum iubet: lotus accubat, cenat aut hilaris aut, quod aequem magnum, similis hilari. [13] interim e Vesuvio monte pluribus locis latissimae flammea altaque incendia relucebant, quorum fulgor et claritas tenebris noctis excitabatur. ille agrestium trepidatione ignes relictos desertasque villas per solitudinem ardere in remedium formidinis dictitabat. tum se quieti dedit et quievit verissimo quidem somno. nam meatus animae, qui illi propter amplitudinem corporis gravior et sonantior erat, ab iis, qui limini obversabantur, audiebatur. [14] sed area, ex qua diaeta adibatur, ita iam cinere mixtisque pumicibus oppleta surrexerat, ut, si longior in cubiculo mora, exitus negaretur. excitatus procedit seque Pomponiano ceterisque, qui pervigilaverant,

reddit. [15] in commune consultant, intra tecta subsistant an in aperto vagentur. nam crebris vastisque tremoribus tecta nutabant, et quasi emota sedibus suis nunc huc, nunc illuc abire aut referri videbantur. [16] sub dio rursus quamquam levium exesorumque pumicum casus metuebatur; quod tamen periculorum collatio elegit. et apud illum quidem ratio rationem, apud alios timorem timor vicit. cervicalia capitibus imposta linteis constringunt; id munimentum adversus incidentia fuit. [17] iam dies alibi, illic nox omnibus noctibus nigrior densiorque, quam tamen faces multae variaque lumina solabantur. placuit egredi in litus et ex proximo adspicere, ecquid iam mare admitteret, quod adhuc vastum et adversum permanebat. [18] ibi super abiectum linteum recubans semel atque iterum frigidam aquam poposcit hausitque. deinde flammae flammarumque praenuntius odor sulphuris alios in fugam vertunt, excitant illum. [19] innitens servolis duobus adsurrexit et statim concidit, ut ego colligo, crassiore caligine spiritu obstructo clausoque stomacho, qui illi natura invalidus et angustus et frequenter interaestuans erat. [20] ubi dies redditus (is ab eo, quem novissime viderat, tertius), corpus inventum integrum, illaesum opertumque, ut fuerat indutus: habitus corporis quiescenti quam defuncto similior. [21] interim Miseni ego et mater — sed nihil ad historiam, nec tu aliud quam de exitu eius scire voluisti. finem ergo faciam. [22] unum adiciam: omnia me, quibus interfueram, quaeque statim, cum maxime vera memorantur, audieram, persecutum. tu potissima excerptes: aliud est enim epistulam, aliud historiam, aliud amico, aliud omnibus scribere.

vale.

► Plin. *ep.* 6, 20 (ed. SCHUSTER/HANSLIK)

C. Plinius Tacito suo s.

[1] Ais te adductum litteris, quas exigenti tibi de morte avunculi mei scripsi, cupere cognoscere, quos ego Miseni relictus (id enim ingressus abruperam) non solum metus, verum etiam casus pertulerim. 'Quamquam animus meminisse horret ... incipiam.' [2] profecto avunculo ipse reliquum tempus studiis (ideo enim remanseram) impendi; mox balineum, cena, somnus inquietus et brevis. [3] praecesserat per multos dies tremor terrae minus formidolosus, quia Campaniae solitus; illa vero nocte ita invaluit, ut non moveri omnia, sed verti crederentur. [4] inrupit cubiculum meum mater: surgebam invicem, si quiesceret, excitatus. resedimus in area domus, quae mare a tectis modico spatio dividebat. [5] dubito, constantiam vocare an imprudentiam debeam (agebam enim duodevicensimum annum): posco librum Titi Livi et quasi per otium lego atque etiam, ut cooperam, excerpto. ecce amicus avunculi, qui nuper ad eum ex Hispania venerat; ut me et matrem sedentes, me vero etiam legentem videt, illius patientiam, securitatem meam corripit. nihilo segnius ego intentus in librum. [6] iam hora diei prima, et adhuc dubius et quasi languidus dies. iam quassatis circumiacentibus tectis, quamquam in aperto loco, angusto tamen, magnus et certus ruinae metus. [7] tum demum excedere oppido visum; sequitur vulgus attonitum, quodque in pavore simile prudentiae, alienum consilium suo praefert ingentique agmine abeuntis premit et impellit. [8] egressi tecta consistimus. multa ibi miranda, multas formidines patimur. nam vehicula, quae produci iusseramus, quamquam in planissimo campo, in contrarias partes agebantur ac ne lapidibus quidem fulta in eodem vestigio quiescebant. [9] praeterea mare in se resorberi et tremore terrae quasi repelli videbamus. certe processerat litus multaque animalia maris siccis harenis detinebat. ab altero latere nubes atra et horrenda ignei spiritus tortis vibratisque discursibus erupta in longas flammarum figuris dehiscebat: fulguribus illae et similes et maiores erant. [10] tum vero idem ille ex Hispania amicus acrius et instantius 'si frater', inquit, 'tuus, tuus avunculus vivit, vult esse vos salvos; si

periit, superstites voluit. proinde quid cessatis evadere?' respondimus non commissuros nos, ut de salute illius incerti nostrae consuleremus. [11] non moratus ultra proripit se effusoque cursu periculo aufertur. nec multo post illa nubes descendere in terras, operire maria: cinxerat Capreas et absconderat, Miseni quod procurrit, abstulerat. [12] tum mater orare, hortari, iubere, quoquo modo fugerem; posse enim iuvenem, se et annis et corpore gravem bene morituram, si mihi causa mortis non fuisset. ego contra: salvum me nisi una non futurum; dein manum eius amplexus addere gradum cogo. paret aegre incusatque se, quod me moretur. [13] iam cinis, adhuc tamen rarus. respicio: densa caligo tergis imminebat, quae nos torrentis modo infusa terrae sequebatur. 'deflectamus', inquam, 'dum videmus, ne in via strati comitantium turba in tenebris obteramur.' [14] vix consideramus, et nox, non qualis illunis aut nubila, sed qualis in locis clausis lumine extincto. audires ululatus feminarum, infantum quiritalis, clamores virorum; alii parentes, alii liberos, alii coniuges vocibus requirebant, vocibus noscitabant; hi suum casum, illi suorum miserabantur; erant, qui metu mortis mortem precarentur; [15] multi ad deos manus tollere, plures nusquam iam deos ullos aeternamque illam et novissimam noctem mundo interpretabantur. nec defuerunt, qui fictis mentitisque terroribus vera pericula augerent. aderant, qui Miseni illud ruisse, illud ardere falso, sed credentibus nuntiabant. [16] paulum reluxit, quod non dies nobis, sed adventantis ignis indicium videbatur. et ignis quidem longius substitit, tenebrae rursus, cinis rursus multus et gravis. hunc identidem assurgentes excutiebamus; operti alioqui atque etiam oblisi pondere essemus. [17] possem gloriari non gemitum mihi, non vocem parum fortem in tantis periculis excidisse, nisi me cum omnibus, omnia mecum perire misero, magno tamen mortalitatis solacio credidisse. [18] tandem illa caligo tenuata quasi in fumum nebulamve discessit; mox dies verus, sol etiam effulsit, luridus tamen, qualis esse, cum deficit, solet. occursabant trepidantibus adhuc oculis mutata omnia altoque cinere tamquam nive obducta. [19] regressi Misenum curatis utcumque corporibus suspensam dubiamque noctem spe ac metu exegimus. metus praevalebat; nam et tremor terrae perseverabat, et plerique lymphati terrificis vaticinationibus et sua et aliena mala ludificabantur. [20] nobis tamen ne tunc quidem, quamquam et expertis periculum et exspectantibus, abeundi consilium, donec de avunculo nuntius. haec nequaquam historia digna non scripturus leges et tibi, scilicet qui requisisti, imputabis, si digna ne epistula quidem videbuntur.

vale.